INSTITUTUM HISTORICUM POLONICUM ROMAE

## ELEMENTA AD FONTIUM EDITIONES

## LXIV

# BREVIA ROMANORUM PONTIFICUM AD POLONIAM SPECTANTIA

EX MINUTIS ET REGISTRIS PONTIFICIIS

collegit et edidit
HENRICUS DAMIANUS WOJTYSKA CP

consultatio linguistica
LUCIANUS OLECH

Volumen I
## BREVIA SAECULI XV
(quae exstant)

NON EXSTINGUETUR

ROMAE 1986

# INSTITUTUM HISTORICUM POLONICUM ROMAE
# VIA VIRGINIO ORSINI 19 - ROMA

IAM PRIDEM ROMAE PRODIERUNT HAEC VOLUMINA

(continuatio *Studia Teologiczne* — Wilno, vol. I-X):

XI — MEYSZTOWICZ V., *Repertorium bibliographicum pro rebus Polonicis Archivi Secreti Vaticani.* Vaticani, 1943.

XII — MEYSZTOWICZ V., *De Archivo Nuntiaturae Varsaviensis quod nunc in Archivo Secreto Vaticano servatur.* Vaticani, 1944.

XIII — SAVIO P., *De Actis Nuntiaturae Poloniae quae partem Archivi Secretariatus Status constituunt.* Romae, 1947.

XIV — MEYSZTOWICZ V., *Prospectica descriptio Archivi Secreti Vaticani.* (Ed. chirotypica, exhausta).

---

ANTEMURALE, I-XXVII, Romae, 1954-1983

---

ELEMENTA AD FONTIUM EDITIONES

I — *Polonica ex Libris Obligationum et Solutionum Camerae Apostolicae.* Collegit J. LISOWSKI, pp. XV+292, 704 doc. (A.D. 1373-1565), 1960. (Archivum Secretum Vaticanum).

II — « *Liber Disparata Antiqua Continens* » Praes. E. WINKLER, pp. XVIII+190, 281 doc. (ante a. 1424), 19 facs 1960. (Archivum Secretum Vaticanum).

III — *Repertorium Rerum Polonicarum ex Archivo Orsini in Archivo Capitolino,* I pars. Coll. W. WYHOWSKA DE ANDREIS, XVIII+162, 1144 doc. (A.D. 1565-1787), 29 tab. 1961.

IV — *Res Polonicae Elisabetha I Angliae Regnante Conscriptae ex Archivis Publicis Londoniarum.* Ed. C. H. TALBOT, pp. XVI+311, 166 doc. (A.D. 1578-1603), 9 tab., glossarium verb. ang. ant., 1961.

V — *Repertorium Rerum Polonicarum ex Archivo Dragonetti de Torres in Civitate Aquilana.* Ed. P. COLLURA, pp. XI+86, 483, doc. (A.D. 1568-1682), 4 tab., 1962.

VI — *Res Polonicae Iacobo I Angliae Regnante Conscriptae ex Archivis Publicis Londoniarum.* Ed. C. H. TALBOT, pp. XI+396, 281 doc., (A.D. 1603-1629), 8 tab., glossarium verb., ang. ant., 1962.

VII — *Repertorium Rerum Polonicarum ex Archivo Orsini in Archivo Capitolino,* II pars., Coll. W. WYHOWSKA DE ANDREIS, pp. XVI+250, 1205 doc. (A.D. 1641-1676), 11 tab., 1962.

VIII — *Documenta Polonica ex Archivo Generali Hispaniae in Simancas,* I pars. Ed. V. MEYSZTOWICZ, pp. X+214, 157 doc. (A.D. 1514-1576, 1720-1791), 7 tab., 1963.

IX — *Res Polonicae ex Archivo Regni Daniae,* I pars. Coll. L. KOCZY, pp. XII+184, 98 doc. (A.D. 1526-1572), 8 tab., 1964.

X — *Repertorium Rerum Polonicarum ex Archivo Orsini in Archivo Capitolino,* III pars. Coll. W. WYHOWSKA DE ANDREIS, pp. XVI+, 1399 doc. (A.D. 1568-1676), 12 tab., 1964.

XI — *Documenta Polonica ex Archivo Generali Hispaniae in Simancas,* II pars. Ed. V. MEYSZTOWICZ, pp. VIII+287, 214, doc. (A.D. 1567-1579), 7 tab., 1964.

XII — *Documenta Polonica ex Archivo Generali Hispaniae in Simancas,* III pars. Ed. V. MEYSZTOWICZ, pp. V+291, 163 doc. (A.D. 1571-1576), 5 tab., 1964.

XIII — *Res Polonicae ex Archivo Musei Britannici,* I pars., Ed. C. H. TALBOT, pp. XVI+175 (A.D. 1598), 2 tab., 1965.

XIV — *Collectanea ex rebus Polonicis Archivi Orsini in Archivo Capitolino Romae,* I pars. Ed. W. WYHOWSKA DE ANDREIS, pp. VI+234, 177 doc. (A.D. 1575-1668), 4 tab., 1965.

XV — *Documenta Polonica ex Archivo Generali Hispaniae in Simancas,* IV pars. Ed. V. MEYSZTOWICZ, pp. VI+340, 211 doc. (A.D. 1576-1587), 5 tab., 1966.

XVI — *Documenta Polonica ex Archivo Generali Hispaniae in Simancas,* V pars. Ed. V. MEYSZTOWICZ, pp. VII+336, 227 doc. (A.D. 1587-1590), 5 tab., 1966.

XVII — *Res Polonicae ex Archivo Musei Britannici,* II pars. Ed. C. H. TALBOT, pp. VII+311, 169 doc. (A.D. 1411-1616), 2 tab., 1967.

XVIII — *Collectanea ex rebus Polonicis Archivi Orsini in Archivo Capitolino,* II pars. Ed. W. WYHOWSKA DE ANDREIS, pp. VIII+256, 140 doc. (A.D. 1669-1676), 4 tab., 1968.

INSTITUTUM HISTORICUM POLONICUM ROMAE

ELEMENTA AD FONTIUM EDITIONES

LXIV

# BREVIA ROMANORUM PONTIFICUM AD POLONIAM SPECTANTIA

EX MINUTIS ET REGISTRIS PONTIFICIIS

collegit et edidit
HENRICUS DAMIANUS WOJTYSKA CP

consultatio linguistica
LUCIANUS OLECH

Volumen I

## BREVIA SAECULI XV

(quae exstant)

NON EXSTINGUETUR

ROMAE 1986

SUMPTIBUS
FUNDATIONIS
LANCKOROŃSKI
FRIBURGI HELVETIAE

EDIDIT:
INSTITUTUM HISTORICUM POLONICUM ROMAE
VIA VIRGINIO ORSINI, 19 - ROMA

# INDEX RERUM


| | | |
|---|---|---|
| Introductio | Pag. | VII |
| Abbreviationes | » | XIV |
| Codices manuscripti perquisiti | » | XV |
| Textus brevium | » | 1 |
| Appendix | » | 107 |
| Elenchus documentorum | » | 115 |
| Index personarum et locorum | » | 119 |

## INTRODUCTIO

### I. Brevia eorumque minutae et registra.

Brevia, vel *litterae apostolicae in forma brevis*, sunt epistulae Romanorum pontificum, quae exeunte saeculo XIV in usum venerunt, expeditioris negotiorum, praesertim publicorum, exsecutionis causa[1]. A *bullis*, quae usque tunc unicum epistolographiae pontificiae genus constituebant, eo differunt, quod a secretariis papae componebantur ex expediebantur, omissa longiore via confectionis et expeditionis (addita taxatione) per Cancellariam Pontificiam. Hanc ob causam non edebantur *sub plumbo* (sigillo plumbeo documento appenso, quod bulla vocabatur, cuius exemplar *bullatores* Cancellariae tenebant), sed *sub anulo Piscatoris*, i. e. sub parvo sigillo digitali pontificis, quo secretarii imaginem S. Petri pisces capientis in cera rubra in dorso documenti plicati imprimebant[2]. Nonnumquam tamen contingebat, quod a secretariis, omissa Cancellaria, etiam bullae conficiebantur et expediebantur, quae ideo improprie pro *brevibus in plumbo* habitae sunt[3], et uti talia in registra brevium transcribebantur (vide in hac editione N. 29, 30, 35).

Comparatum ad bullam, breve est documentum pontificium minus sollemme et initio (saeculo XV) brevius, necnon in membrana subtilius elaborata conscriptum. Differt a bulla etiam forma inscriptionis: pontifex, cuius nomen cum abbreviato titulo (v.g. "Nicolaus Papa V") ponitur in medio ad caput documenti, alloquitur destinatarium in vocativo ("Dilecte fili"), in bulla vero plenum titulum papae sequitur allocutio in dativo ("dilecto filio"). In datatione litterarum in forma brevis adhibetur modernus *stilus Circumcisionis*, quo annus initium sumit a die primo Ianuarii et numeris arabicis generatim scribitur, annotata etiam post locum emissionis expeditione sub anulo Piscatoris, dum in bulla datatio fit secundum stilum antiquum, Incarnationis vel Annuntiationis (initium anni a die 25 Martii), et in denotatione dierum vetus calendarium Romanum sequitur. Plumbi in textu bullae nulla fit mentio[4].

---

1) Cfr K.A. Fink, *Die ältesten Breven und Brevenregister*, "Quellen und Forschungen aus italienischen Archiven und Bibliotheken", 25 (1933/34), p. 292-307; idem, *Untersuchungen über die päpstlichen Breven des 15. Jahrhunderts*, "Römische Quartalschrift", 43 (1935), pp. 55-86; G. Battelli, *Breve*, in: Enciclopedia Cattolica, t. 3, Città del Vaticano 1949, col. 79-80.

2) Cfr P. Rabikauskas SJ, *De significatione verborum "bulla" et "breve"*, "Periodica de Re Morali et Liturgica", 55 (1966), p. 90.

3) Cfr R. Gualdo, *I brevi "sub plumbo"*, "Annali della Scuola Speciale per Archivisti e Bibliotecari dell'Università di Roma", 11 (1971), p. 82-121.

4) Cfr Rabikauskas, *De significatione*, p. 90-92; Battelli, *Breve*, col. 79; multa etiam apud R. Gualdo, *Il "Liber brevium de Curia anni septimi" di Paolo II. Contributo allo studio del breve pontificio*, in: Mélanges Eugène Tisserant, t. 4/1, Città del Vaticano 1964 (Studi e Testi 234), p. 325-326.

Confectio brevium incipiebat a compositione conceptorum, seu *minutarum*, quae in foliis chartaceis variae dimensionis a secretariis scribebantur. Lectae coram pontifice, eius mandato correctae et ab eo approbatae[5], transcribebantur, generatim ante confectionem documenti originalis, in librum, qui *registrum* vocatur (bullae *registrabantur* e documetis originalibus iam confectis ante illorum expeditionem)[6], inde textus brevium registratorum similes sunt in omnibus, insertis correctionibus, textibus minutarum: initio abbreviatum nomen vel officium personae, cui destinatum erat, portant, quod in documento confecto a tergo poni deberetur in extenso, additis titulis; omittuntur vel abbreviantur usitatae formulae salutationis; saepenumero deest etiam, et semper – si adest – abbreviatur datatio; formula "Datum ut supra" refertur generatim ad illam minutam, quae datationem habebat et tamquam prima in registrum transcribebatur; cum tamen cum minuta parabatur, non constabat, quando breve expediendum esset, ergo saepe accidit, ut datatio brevis registrati cum datatione expediti non concordet[7].

Usque ad medium saeculum XV sat raro litterae pontificiae expediebantur in forma brevis, et adhuc rarius eorum minutae servabantur et in libris registrorum transcribebantur[8]. Unde efficitur, ut brevia antiquiora, si non omnino perierunt, saepenumero registrata inter bullas sic dictas *secretas* (quae etiam a secretariis apostolicis conficiebantur) in *Registris Vaticanis* (Reg. Vat. vol. 359, 366, 367, 370)[9] et in registris privatim ab aliquibus secretariis pontificiis, vel memoriae gratia (ut est v.g. "Compilatio brevium CLV Poggii [Bracciolini] Florentini, Secretarii Apostolici")[10], vel tamquam formularia ad usum privatum[11] confectis, reperiri possint. Progressu temporis registra haec privata ad usum secretariatus pontificum confici coeperant, uti patet ex inscriptionibus in duobus libris registrorum Casparis de Vulterris, secretarii Callisti III (1455-1458) et Pii II (1458-1464), qui in vestiario ("Guarda Robba litterarum") palatii apostolici servaban-

5) In minutis ab initio saec. XVI saepe reperitur annotatio secretarii "Sanctitatem Suam fuisse contentam". Haec brevia probabiliter a secretariis domesticis "sine signatura", i.e. immediate, expediebantur (cfr L. Pásztor, *Guida delle fonti per la storia dell'America Latina*, Città del Vaticano 1970, p. 112), reliqua vero signabantur et taxationi in secretariatu subiecta erant, quod in minutis brevium communium annotatum est verbis: "habet signaturam" (cfr in hac editione N. 123).

6) Cfr Gualdo, *Il "Liber"*, p. 333. In registris *Brevium Lateranensium* saepe adnotabatur hoc in titulis: "Registrum minutarum brevium". Etiam ipsae minutae saepenumero habent in dorso signum "R" = Registratum (cfr N. 123).

7) Vide exempla apud Gualdo, *Il "Liber"*, p. 316-317.

8) Prima notitia registrationis est ex anno 1421 (cfr Fink, *Die ältesten*, p. 302), prima vero registra conservata ex medio saec. XV (ibidem, p. 303-307). Cfr etiam G. Lang, *Studien zu den Brevenregistern und Brevenkonzepten des XV. Jahrhunderts aus dem Vatikanischen Archiv*, Innsbruck-Leipzig 1938.

9) Ex illis tantum vol. 359 multas bullas ad Poloniam spectantes continet, quae eaedem sunt ac in voluminibus in notis 11 et 21 recensitis.

10) BAV, Vat. Lat., vol. 3993, in 16°, rubricatum, 8 brevia ad Poloniam spectantia continet. Bracciolini, litterarum cultor, fuit secretarius apostolicus annis 1423-1453.

11) Ut sunt: aliud registrum manu Poggi Bracciolini conscriptum, in BAV, Chigi D. VII, vol. 101 conservatum; codex Ottobon. Lat. 3014 in eadem Bibliotheca conservatus; necnon vol. 6 Armadii 39, de quo infra in nota 21. Cfr Fink, *Die ältesten*, p. 303-305.

tur[12]. Initia registrationis "officialis" viri docti remittunt ad initium muneris *secretarii domestici*, i.e. primi secretarii papae, quem Paulus II circa a. 1467-1468 aliis secretariis praefecit. Eodem quoque tempore, ut coniicitur, prima registra fere completa confici coepta sunt[13]. Ex quibus conservatus est solum "Liber brevium de Curia anni septimi D. Pauli pp II, incoepta (sic) XI Ianuarii 1471 et scripta seu registrata" initio per ignotum et a f. 21 per litteratissimum Leonardum Dathum, eiusdem pontificis secretarios[14]. Hunc librum sequitur series, quae, ut ex datatione voluminum, quae conservata sunt, coniici potest, completa olim erat, etsi ad nostra usque tempora minus completa pervenerit.

Ab initio ordinatae et regularis eorum registrationis, brevia registrata dividebantur in *de Curia* et *communia*. Quae tamen essent huius divisionis regulae, inter viros doctos hucusque disputatur. Brevia de Curia, quibus secretiora negotia (unde etiam *brevia secreta* vocantur) expediebantur, a solo secretario domestico componi et expediri solebant; brevia vero communia, quibus negotia ordinaria administrativa et beneficialia, praesertim *in forma gratiosa vel iustitiae*, conficienda erant, a secretariis simplicibus componebantur in minutis, et dein documenti confectio et expeditio opera Cancellariae fiebat, ut ex disparatis opinionibus colligi potest[15]. Cum per brevia communia gratiae conferebantur, supplicibus libellis a pontificibus petitae, eiusmodi litterae iterum dividebantur in *brevia extensa*, quibus totum supplicationis argumentum describebatur et dein gratia petenti immediate concedebatur (vide e.g. in hac nostra editione N. 122), et *brevia supplicatione introclusa*, vel *commissiones per breve*, quibus solummodo exsecutio supplicationis interclusae (quae tamen supplicationes non registrabantur, nam illarum transcriptio in *Registra supplicationum* a Dataria Apostolica curabatur)[16] et a pontifice, vel eius nomine a referendario, per formulam "fiat ut petitur" signatae, destinatario committebatur (cfr N. 45)[17]. In collectione *Brevium Lateranensium* (cfr. infra) saepenumero registrato textui istarum *commissionum* breve summarium supplicationis praemittebatur (cuius exempla in sequenti volumine publicabuntur).

Cum unicum registrum *brevium communium* Sixti IV nonnisi 3 menses (26.VIII - 26.XI.1479) "anni IX" eius pontificatus complectatur, ideo A. Mercati suspicatur, quod unum pro quolibet trimestri conficiebatur, quae si reperta essent, "pro duodecenni fere pontificatu huius papae seriem 48 voluminum constituissent"[18]

---

12) ASV, Arm. 39, vol. 7 (annotatio collocationis in vestiario in f. 3r). Registrum continet 403 brevia numerata annorum 1456-1458 (3 ad Poloniam spectantia) et continuatur in vol. 8 ("Registrum brevium apostolicorum mei (sic) G. de Vulterris secretarii de tempore D. Callisti Papae Tertii", et a f. 29r: "Secuuntur brevia de tempore Domini Pii Papae Secundi", annorum 1458-1459).

13) Gualdo, *Il "Liber"*, p. 303.

14) Conservatus est in ASV, Arm. 39, vol. 12. Habet adhuc notam provenientiae "di Guardaroba", sed etiam signa vidimationis ("vidi Hie"). Altera pars huius voluminis continet brevia communia. Accuratam analysim illius fecit R. Gualdo (*Il "Liber"*).

15) Cfr Gualdo, *Il "Liber"*, p. 327; L. Pásztor, *Guida*, p. 112.

16) Vide collectionem in ASV, *Registri delle Suppliche* nuncupatam. Cfr K.A. Fink, *Das Vatikanische Archiv*, Rom 1951$^2$, pp. 42-44.

17) Vide descriptionem et specimina diversorum specierum brevium apud Gualdo, *Il "Liber"*, p. 327.

18) "...nei 12 anni presso che completi del pontificato di lui avrebbero formato un gruppo di 48 volumi". Nota in ASV, Arm. 39, vol. 16D.

Sed haec omnia pro norma vix haberi possunt. Posteriora enim registra demonstrant magnam libertatem in registris conficiendis adhibitam fuisse: brevia *de Curia* permixtim cum *communibus*, multis saepe omissis[19], in registris reperiuntur; sunt etiam registrata in voluminibus, unum trimestre, unum semestre, integrum annum, vel etiam aliquot annos complectentibus.

Haec antiquiora registra brevium, quae anno 1587 ex vestiario palatii apostolici in archivum Camerae sunt transportata et anno 1610, postquam a Paulo V Archivum Secretum esset institutum, in Vaticano collocata[20], initium dederunt collectioni, quae hodie *Armarium 39* continetur et 72 voluminibus constat, tempora ab initio (copiaria brevium et bullarum e prima parte saeculi XV)[21] usque ad annum 1555 complectens[22]. Continuatur haec series in *Armariis 44-45* usque ad a. circa 1730 (102 volumina), insertis etiam minutis et earum copiis e pontificatibus Leonis X (1513-1521), Clementis VII (1523-1534), Iulii III (1550-1555) et Pauli IV (1555-1559)[23].

Multa volumina collectionis in Armario 39 conservatae perierunt, praesertim tempore depraedationis Urbis a militibus imperatoris Caroli V anno 1526 factae, et adhuc plura tempore exportationis Parisiis a Napoleone Bonaparte anno 1810 decretae. Unde aliqua volumina registrorum etiam alibi, quam in Archivo Secreto Vaticano, hodie inveniri possunt, ut sunt: a) unum ex antiquioribus registris-formulariis secretariorum papae, prima parte saec. XV conscriptum, quod hodie in Archivis Nationalibus Parisiis custoditur[24]; b) quattuor registra brevium Sixti IV, e quibus iam supra nominatum, brevia communia continens anni 1479, hodie in Bibliotheca Giovardiana Verulis reperitur[25], duo alia *communia* annorum 1476-1477 recens ab Archivo Status Romae empti sunt[26] et unum *de Curia*, integrum annum pontificatus (1481-1482) huius pontificis continens, a domino Rinuccini anno 1850 testamento legatum, in Bibliotheca Nationali Florentiae hodie inveniri potest[27]. Plura tamen, de quibus constat ex inventariis contemporaneis[28], vel ex datatione registrorum conservatorum, perierunt.

---

19) V.g. breve Sixti IV ad Iacobum Sieneński, archiepiscopum Gnesnensem, die 29.IV.1479 datum (ed. Lewicki CE III, p. 301-302), quod debuit esse in vol. BGV 42.2.24 registratum.

20) Cfr Gualdo, *Il "Liber"*, pp. 305-307.

21) Vol. 1 est copiarium, medio saec. XV confectum, bullarum Innocentii III; vol. 2 deest; vol. 3 hodie Parisiis conservatur (cfr infra notam 24), eius vero copia, saeculo XVII facta, volumine 4 continetur; copiarium est etiam vol. 5, saeculo XVII confectum; vol. 6 vero formulas circa 400 bullarum et brevium Martini V (1471-1431) continet, adhuc medio saec. XV conscriptas. In omnibus his voluminibus multae bullae ad Poloniam spectantes reperiuntur, quae tamen iam sunt a Lewicki (CE III) editae.

22) Cum aliquot volumina huius seriei deperdita sint, L. Pásztor solos 65 codices manuscriptos numerat et aliquorum posteriorum brevium, in illis contentorum, mentionem facit (usque ad a. 1599). Cfr. *Guida*, p. 16-17.

23) Invenitur in hac serie etiam copiarium bullarum Clementis IV (1264-1268), cfr vol. 1.

24) Cod. LL 4a = ASV, Arm. 39, vol. 3; cfr Fink, *Die ältesten*, p. 303.

25) Cod. 42.2.24, cuius copia photographica invenitur in ASV, Arm. 39, vol. 16D.

26) Coll. Acquisti e Doni, busta 26 1 et 27 1; empti a. 1970, 1972.

27) Cod. II-III 256. Omnia ista 4 registra non sunt adhuc recensita.

28) Cfr v.g. indicem 30 librorum *Diversorum* et *Indulgentiarum* Leonis X in ASV, Arm. 39, vol. 38, f. 108-212.

Hac de causa, etiam in editione, quam facimus, multae lacunae invenientur.

Clara munerum *secretarii domestici*, qui brevia *de Curia* componebat et expediebat, et reliquorum secretariorum (brevium *communium* scriptores) distinctio, vigore bullae Innocentii VIII "Non debet" de die 31.XII.1487 introducta (collegii secretariorum constitutio), initium dedit alteri in Archivo Secreto Vaticano seriei registrorum brevium, quae *Brevia Lateranensia* vocatur et continuatio est registrorum brevium communium Armarii 39 (codicis scilicet vigesimi primi, qui brevia communia Innocentii VIII mensium Ianuarii-Martii 1490 continet). Ex antiquo archivo Datariae Apostolicae in palatio Lateranensi (inde *Lateranensia*) in Archivum Vaticanum anno 1904 translata, constat haec series 852 voluminibus, quibus varia negotia usque ad annum 1800 tractantur[29]. Cum vigore brevium, quae in hac serie Lateranensi sunt registrata, pontifices gratias supplicantibus concederent, ideo K. A. Fink opinatur huic seriei collectionem Vaticanam minutarum respondisse, quae *Minutae brevium in forma gratiosa* nuncupatur et continet circa 30.000 concepta brevium non adligata (469 fasciculi) annorum 1523-1678[30], quae in proximo et sequentibus voluminibus huius nostrae editionis publicabuntur.

Sicut *Minutae brevium in forma gratiosa Brevibus Lateranensibus*, ita *Armaria 40-43*, quae minutas brevium ab anno 1478 usque ad annum 1676 in 224 voluminibus continent[31], *Armariis 39, 44-45* registrorum brevium sunt parallela. Ordinatio minutarum est in illis chronolgica et a pontificatu Sixti IV incipit, ita tamen, ut paucae minutae brevium pontificum saeculi XV in primo volumine Armarii 40 colligi potuerint[32], quarum duae solummodo ad Poloniam spectant (vide NN. 124 et 143).

Antiquior aliis collectionibus minutarum brevium est *Podocatariana*, a cardinali Ludovico Podocataro († 1504), olim Alexandri VI secretario domestico collecta, circa 800 non adligata concepta brevium a pontificatu Pauli II ad pontificatum Alexandri VI inclusive complectens, in Archivo Status (et partim inter epistulas a Podocataro collectas, in Biliotheca Marciana) Venetiis conservata[33], in qua, proh dolor, nullum breve ad Poloniam spectans reperitur, cum praesertim ad pontificatum Alexandri VI, deperditis illius pontificis fere omnibus registris, multa desiderantur.

Cum procedente tempore secretariatus pontificum magis ac magis cresceret et in veram institutionem curialem, Cancellariae et Camerae Apostolicarum aemulam, transformatus esset, quae postea Secretariatui Status originem dedit[34], duo nova officia pro ordinatiore brevium registratione et expeditione sunt instituta:

---

29) Cfr. K.A. Fink, *Zu den Brevia Lateranensia des Vatikanischen Archivs*, "Quellen und Forschungen aus italienischen Archiven und Bibliotheken", 32 (1942), pp. 260-266.

30) Cfr Fink, *Zu den Brevia*, p. 266; idem, *Das Vatikanische Archiv*, p. 70; Pásztor, *Guida*, p. 72.

31) Pásztor, *Guida*, p. 17.

32) A f. 1 ad 297 sunt annorum 1478-1503.

33) Collectio haec est descripta a Ch.-M. De Witte OSB, *Notes sur les plus anciens registres de brefs*, "Bulletin de l'Institut Historique Belge de Rome", 31 (1958), pp. 165-168. Antiquior omnibus aliis est minuta ex anno 1466.

34) Cfr A. Kraus, *Secretarius und Secretariat. Der Ursprung der Institution des Staatssecretariates und ihr Einfluss auf die Entwicklung moderner Regierungsformen in Europa*, "Römische Quartalschrift", 55 (1960), pp. 43-84.

a) Secretariatus Brevium, qui forsitan inde a temporibus Alexandri VI partem Secretariatus Pontificii constituebat et, inter 1560-1566 ab illo prorsus separatus factus[35], initium dedit novae seriei registrorum, hodie in Archivo Vaticano conservatae, a documentis anni 1566 incipientis et usque ad annum 1908 sub nomine *Secretariatus Brevium* continuatae, quae 6218 voluminibus constat[36].
b) Secretariatus Brevium ad Principes, qui anno 1678 ex Secretariatu Status in officium sui iuris est constitutus[37] et propriam collectionem minutarum necnon registrorum, *Epistolae ad Principes* nuncupatam, inchoavit, quae ab anno 1560 incipit et usque ad annum 1914 protrahitur, ac circiter 380 volumina minutarum et registrorum continet[38]. Meminisse oportet etiam Secretariatus Litterarum Latinarum, qui tamen tantum tempore pontificatus Pii VI (1775-1799) in officium est constitutus[39], et propriam collectionem brevium inchoavit. De *Armario 38*, quod brevia originalia continet ex universo orbe collecta, necnon de dispersis alibi in Vaticano minutis et registris brevium, cum sint posteriora, sermo fiet postea. Quorum, sicut et omnium supranominatarum collectionum, in edendis sequentibus voluminibus nostris abunde rationem habebimus.

Praeter dictas series minutarum et registrorum brevium, quae ex secretariatu pontificio originem ducunt, sunt etiam aliqua copiaria privata brevium ad modum registrorum confecta, quae, si originis pontificiae sunt (uti iam nominati copiarii secretariorum pontificiorum ex medio saec. XV), vel in tabulariis pontificiis (Archivo et Bibliotheca) conservantur, editioni huic serviunt et servient[40]. Inter ea eminet copiarium brevium et bullarum, ab Erasmo Vitellio (Ciołek), oratore magni ducis et postea regis Alexandri, necnon regis Sigismundi I, confectum et in Archivo Vaticano post eius obitum Romae a. 1522 conservatum[41], quod maximam lacunam registrorum brevium Alexandri VI, et partim Iulii II, in editione primi et secundi voluminis huius editionis explet.

Omnibus brevibus ex supra nominatis fontibus in hoc primo volumine collectis, notum facimus benevolo Lectori, nos, deficientibus collectionibus minutarum et registrorum multorum annorum codicibus, haec tantummodo 154 brevia edere potuisse, etsi credamus multo plura fuisse e secretariatu pontificum saeculi XV in Poloniam et Lithuaniam expedita.

## II. Editionis ratio.

Omnia brevia pontificum Romanorum ad Poloniam spectantia, quae in registris pontificiis et collectionibus minutarum, ubicumque illae fuerint, inveniuntur, publici iuris facere intendimus, ea tamen lege, ut:

---

35) Cfr Fink, *Das Vatikanische Archiv*, p. 76 N. Del Re, *La Curia Romana. Lineamenti storico-giuridici*, Roma 1970$^3$, p. 286.

36) Cfr Pásztor, *Guida*, p. 115 (constat diversis subcollectionibus).

37) N. Del Re, *La Curia*, p. 453.

38) Cfr Pasztor, *Guida*, p. 120.

39) N. Del Re, *La Curia*, p. 455; Pásztor, *Guida*, p. 120.

40) Ea de causa non edentur hic brevia in registrum cancellariae Regni Poloniae a Matthia Drzewicki initio saec. XVI transcripta, quod hodie in Bibliotheca Jagellonica Cracoviae (vol. 38) conservatur.

1) Neque documenta originalia, quae per orbem universum quaerenda essent, neque in copiariis ab aliis, quam Romanorum pontificum secretariis confectis (ubicumque illa reperiantur), vel in Archivo Secreto et Bibliotheca Apostolica conservatis (cuiuscumque sint) edenda curemus.

2) Illa, ad quae in editionibus vetustioribus, praesertim ab Odorico Raynaldo et Augustino Theiner curatis, difficilior est aditus, iterum edamus; recentius vero editis, vel minoris valoris (v.g. aliis brevibus similibus vel usitatas formulas repetentibus) simplex summarium reservantes, aliquibus maioris momenti sententiis insertis.

3) Editio contineat brevia, historiam Regni Poloniae et Magni Ducatus Lithuaniae in eorum confiniis pro tempore exsistentibus quodammodo illustrantia, etiamsi ad alios, quam Polonos et Lithuanos scripta fuerint (v.g. ad nuntios apostolicos, duces Moscoviae, reges Hungariae etc); necnon ea, quae historiam ecclesiasticam illarum partium, quae ad metropolim Gnesnensem et Leopoliensem pertinebant, praesertim dioecesium Vratislaviensis, Caminensis et Lubusensis, elucidant.

4) Documenta res gestas Poloniae et Lithuaniae illustrantia, quae tamen in forma brevis non sunt scripta (bullae, epistulae aliorum, quam summorum pontificum, aliave scripta), sed in collectionibus brevium reperiuntur, si nondum sunt edita, publici iuris facere in Appendicibus intendamus, ne iterum illic a viris historiae studiosis quaerantur.

5) Fundamentum editionis sit textus, qui primo loco in adnotatione collocationis archivisticae est positus. Lectiones variantes, si alicuius sint momenti, addantur vel explicentur in notis textum ipsum sequentibus.

6) Dispositio graphica textus brevium edendorum conservetur talis, qualis in registro (vel in minuta, si breve non fuit registratum vel registrum non reperitur) exstat, inclusis etiam abbreviationibus et omissionibus ex proposito factis (omissio nominis pontificis, abbreviatio titulorum destinatarii, nec non formulae salutationis initialis et conclusionis brevis, praesertim datationis, quae si ex documento antecedenti in registro vel aliunde reconstructa est, parenthesi quadrata munitur).

7) Omnia, quae *scriptura cursiva* exprimuntur, ab editore scripta; quae vero signis [parentheses quadratae] clauduntur, ab editore reconstructa censeantur.

8) Nomina gentilicia et locorum transcribantur fideliter in textu talia, qualia sunt in manuscriptis.

9) Nomina secretariorum et referendariorum pontificiorum, quae in registris notata sunt generatim a registrantibus in margine sinistro initio brevis registrati, hic suo loco (sicut in minutis et originalibus) ad calcem textus transferantur.

10) Editiones antecedentes adnotentur immediate sub denotatione archivi, ex quo documentum est publicatum, praemisso signo "–"; ita etiam copiae relate ad textum, ex quo sunt transcriptae.

Editor magnas agit gratias moderatrici Instituti Historici Polonici Romae, clarissimae prof. Carolinae Lanckorońska, quae editionis huius seriei brevium inchoandae promotrix et animatrix est indefessa. Debitae gratiae referuntur etiam clarissimo doctori Romano Gualdo, in evolvendis brevibus peritissimo, qui consilio editori numquam defuit.

## ABBREVIATIONES

### I. Bibliographicae

| | | |
|---|---|---|
| AE | – | *Annales ecclesiastici ab anno MCXCVIII, ubi desinit Cardinalis Baronius,* auctore Odorico RAYNALDO, t. 10, Lucae 1753. |
| ASR | – | Archivum Status Romae. |
| ASV | – | Archivum Secretum Vaticanum. |
| Barber.Lat. | – | Barberini Latini, codices manuscripti in BAV conservati. |
| BAV | – | Bibliotheca Apostolica Vaticana. |
| BF | – | *Bullarium Franciscanum,* Nova series, t. 3, ed. J. POU Y MARTI, Quaracchi 1949. |
| BGV | – | Bibliotheca Giovardiana Verulis (Latium). |
| BNF | – | Bibliotheca Nationalis Florentiae. |
| Brev.Later. | – | Brevia Lateranensia, series voluminum manuscriptorum in ASV. |
| CE | – | *Codex epistolaris saeculi decimiquinti,* t. 2-3, ed. A. LEWICKI, Cracoviae 1891-1894 (Monumenta Medii Aevii Historica, t. XII et XIV). |
| DPU | – | *Documenta Pontificum Romanorum Historiam Ucrainae illustrantia,* vol. 1, Collegit A.G. WELYKYJ/OSBM, Romae 1953. |
| KC | – | *Kopijarz rzymski Erazma Ciołka z początku XVI w.,* oprac. S. KUTRZEBA i J. FIJAŁEK, "Archiwum Komisji Historycznej Akademii Umiejętności", seria II, t. 1, Kraków 1923, pp. 66-103. |
| KDW | – | *Kodeks dyplomatyczny katedry i diecezji wileńskiej,* t. 1, wyd. J. FIJAŁEK i W. SEMKOWICZ, Kraków 1932. |
| Ottobon.Lat. | – | Ottoboniani Latini, codices manuscripti in BAV conservati. |
| PCB | – | *Politische Correspondenz Breslaus,* herausg. von H. MARKGRAF, in: Scriptores Rerum Silesicarum, Bd 8-9, Breslau 1873-1874. |
| Reg.Vat. | – | Registra Vaticana, series registrorum bullarum in ASV. |
| UBC | – | *Urkundenbuch des Bisthums Culm,* bearb. von C. P. WOELKY, Danzig 1884-1887. |
| Vat.Lat. | – | Vaticani Latini, codices manuscripti in BAV conservati. |
| VMPL | – | *Vetera monumenta Poloniae et Lithuaniae gentiumque finitimarum historiam illustrantia,* ex Tabulariis Vaticanis ed. A. THEINER, t. 2, Romae 1861. |

### II. Textuales

| | | |
|---|---|---|
| A. | – | Appendix |
| a. | – | annus |
| Arm. | – | Armarium (Armadio) |
| Cod. | – | Codex |
| Coll. | – | Collectio |
| I.U.D. | – | Iuris Utriusque Doctor |
| M.D.L. | – | Magnus Ducatus Lithuaniae |
| ms | – | manuscriptum |
| N. | – | Numerus documenti in hac editione |
| n. | – | numerus |
| r | – | recto |
| Reg. | – | Registrum, breve registratum |
| R.P. | – | Regnum Poloniae |
| S.R.E. | – | Sancta Romana Ecclesia |
| v | – | verso |

## CODICES MANUSCRIPTI
## BREVIA SAEC. XV CONTINENTES
## IN QUIBUS RES AD POLONIAM SPECTANTES
## PERQUIREBANTUR

Archivum Secretum Vaticanum:
— Arm. 32, vol. 21.
— Arm. 39, vol. 1-10, 12-21.
— Arm. 40, vol. 1.
— Brev. Later, vol. 1-2.
— Reg. Vat., vol. 359, 366, 367, 370.

Archivum Status Romae:
— Coll. Acquisti e Doni, busta 26/1 (n. 28), 27/1 (n. 31).

Archivum Status Venetiis:
— Coll. Podocataro, buste I-III.

Bibliotheca Apostolica Vaticana:
— Barber. Lat., vol. 2001.
— Chigi, D. VII, vol. 101.
— Ottobon. Lat., vol. 3014.
— Vat. Lat., vol. 3993.

Bibliotheca Giovardiana Verulis:
— Cod. 42.2.24.

Bibliotheca Nationalis Florentiae:
— Cod. II-III 256.

Bibliotheca Nationalis Marciana Venetiis:
— Classis X, vol. 174-178.

# TEXTUS BREVIUM

## N. 1.

*Romae, 20.IV.1452*

*Nicolaus V pontifex maximus*
*Vladislao Oporowski, archiepiscopo Gnesnensi*

*Notum facit se olim Wyszotae de Górka, tunc apud se Poloniae regis oratori, primum beneficium in dioecesi Gnesnensi vacaturum reservasse, eumque adhortatur, ut cancellariatus, quem hac reservatione adeptus est, pacifica possessione utatur, nec a nominato archiepiscopi turbetur.*

*Reg. BAV, Vat. Lat., vol. 3993, f. 129v-130r.*

Venerabili fratri N., archiepiscopo Gneznensi[1)].

Venerabilis frater, salutem etc.. Dudum dilecto filio magistro Woyschothe de Gorha, notario nostro, tunc carissimi in Christo filii nostri Cazimiri, regis Poloniae illustris, ad nos oratori[2)], ad ipsius regis preces et instantiam, ac etiam propter ipsius notarii virtutes et merita reservavimus conferendam primam dignitatem cum praebenda ecclesiae Gneznensis, prout in ipsius litteris plenius continetur.

Cum autem postmodum idem notarius acceptaverit cancellariam ipsius ecclesiae, tunc certo modo vacantem, ac ipsius possessionem fuerit adeptus[3)], intelleximus, quod Tua Fraternitas eandem [130r] cancellariam, ignorans forsan reservationem praefatam, alteri contulit. Idcirco, cum ipsa cancellaria ad praefatum notarium de iure spectat, adhortamur in Domino Tuam Fraternitatem, ut velis permittere, quod praefata reservatio in hoc sortiatur effectum suum, neque impedire ipsum notarium, quominus pacifice gaudeat cancellaria praefata. In aliis poteris providere aliis cum honestate tua et absque ([a]auctoritate nostra[a)]), quam debes conservare pro tuo honore et pro nostra reverentia et Apostolicae Sedis. In hoc facies rem valde gratam nobis. Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die XX[a] mensis Aprilis [1452], anno sexto.

a-a) *in ms* auctoritatis nostrae

1) *Vladislaus Oporowski († 1453), archiepiscopus Gnesnensis ab a. 1449, antea episcopus Vladislaviensis (ab a. 1434).*

2) *Wyszota de Górka († 1453), secretarius regis Casimiri, eiusque ad pontificem Nicolaum V anno 1447 pro praestanda oboedientia orator, qui tunc ab ipso die 23 XII 1447 protonotarius apostolicus creatus est (cfr. Theiner VMPL II p. 56).*

3) *In capitulo die 9.XII.1541 celebrato, per obitum Ioannis Koziebrodzki.*

## N. 2.

*Romae, [20.IV.1452]*

*Nicolaus V pontifex maximus*
*Capitulo Ecclesiae Gnesnensis*

*Mittit eis exemplar brevis ad archiepiscopum Oporowski dati et laudat eos, quod mandatis eius obtemperantes, cancellariatum illius ecclesiae Wyszotae de Górka dederunt, adhortaturque, ut archiepiscopo suo persuadeant, ne ei nogotium facessat.*

*Reg. BAV, Vat. Lat., vol. 3993, f. 130r-v.*

Dilectis filiis Capitulo Ecclesiae Gneznensis.

Dilecti filii, salutem etc. Scribimus venerabili fratri nostro archiepiscopo Gneznensi breve nostrum, cuius copiam vobis mittimus praesentibus interclusam[1]. Cum autem [130v] intellexerimus vos, tamquam oboedientes filios, parentes nostris litteris, dedisse eidem notario possessionem cancellariae praefatae, in quo merito vestram devotionem commendamus, exhortamur vos in Domino, ut pro nostra et Sedis Apostolicae reverentia hortari velitis archiepiscopum vestrum et ei suadere rationibus, quibus potestis iustis et debitis, ut prothonotarium non molestet in dicta cancellaria, cedatque iuri, quod est pro ipso notario, utque ipsum sinat gaudere pacifica dictae cancellariae possessione. Datum Romae etc [20.IV.1452][a].

a) *breve hoc sequitur in ms N.1.*
*1) cfr N.1.*

*N. 3.*

*Romae, 20.IV.1452*

*Nicolaus V pontifex maximus*
*fratribus Ordinis Praedicatorum conventus Gedanensis*

*Notum facit se vicario ordinis visitationem et reformationem eorum domus commisisse et mandat, ut visitatori pareant.*

*Reg. BAV, Vat. Lat., vol. 3993, f. 134r.*

Dilectis filiis priori et conventui domus oppidi Gedanensis, Ordinis Praedicatorum, Wladislaviensis dioecesis.

Dilecti filii, salutem etc. Ex certis causis committimus dilecto filio generali vicario vestri ordinis[1], ut per se vel alium vestram domum et habitantes in ea auctoritate nostra visitet, reformet, corrigat, puniat et ad observantiam regularem reducat, prout secundum Dominum ei videbitur expedire. Idcirco volumus, et tenore praesentium mandamus vobis, ut eidem visitatori in omnibus, quae ad dictam visitationem et reformationem spectabunt, pareatis, et quae ab eo ordinata fuerint, observetis; alioquin sententias, quas in rebelles tulerit, faciemus, auctore Domino, observari. Datum Romae, die XX[a] mensis Aprilis [1452], anno sexto.

1) *Martiali Auribello († 1473), annis 1451-1453 vicario, dein 1453-1462 magistro generali Ordinis Praedicatorum.*

## N. 4.

*Romae, 24.V.1452*

*Nicolaus V pontifex maximus*
*Petro Nowak, episcopo Vratislaviensi*

*Iterum eum admonet, censuras comminando, ne fratres Ordinis Sancti Spiritus in Saxia in eorum privilegiis in sua dioecesi perturbari permittat.*

*Reg. BAV, Vat. Lat., vol. 3993, f. 102v-103r.*

Venerabili fratri N., episcopo Wratislaviensi[a)1)].

Venerabilis frater, salutem etc. Scripsimus nuper tibi breve nostrum, ut dilectos filios priorem et magistros domorum hospitalium Sancti Spiritus in Saxia de Urbe, in tua dioecesi consistentes, non permitteres in suis privilegiis perturbari, quominus illa exercere, eleemosynas[b)] petere, et alia facere possint, quae in eorum et hospitalis Sancti Spiritus in Saxia de Urbe privilegiis continentur. Postmodum vero, cum intellexerimus te parum paruisse voluntati nostrae, praetendens transsumptis privilegiorum et indulgentiarum, dicto hospitali et suis membris non esse adhibendam fidem, volumus et tenore praesentium stricte mandamus tibi, ut priorem et magistros ipsos minime impedias aut perturbes, nec impediri aut perturbari per quoscumque homines permittas, quominus ipsi, iuxta privilegia eis concessa, praedicare Verbum Dei, eleemosynas[c)] petere, et omnia et singula exequi et exercere possint, quae in transsumpto gratiarum huiusmodi, sigillo praeteriti auditoris Camerae munito, cui fidem adhibere te voluimus, dicitur contineri, sed eos permittas libere praedicare et petere eleemosynas[b)], ac alia facere, quae sua privilegia eis concedunt. In quo ita [103r] te geras, ne super hoc amplius nos scribere opporteat; alias procedemus ad censuras ecclesiasticas, prout iustitia suadebit. Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die XXIIII[a] Maii [1452], anno VI[o].

a) *in ms:* Wratislariensi
b) *in ms:* elemosinas
c) *in ms:* helemosinas

1) *Petrus Nowak († 1456), episcopus Vratislaviensis ab a. 1447.*

## N. 5.

*Romae, 1.VI.1452*

*Nicolaus V pontifex maximus*
*Ioanni Gruszczyński, episcopo Vladislaviensi*

*Gratias agit pro veste sibi per Nicolaum Chebda transmissa.*

*Reg. BAV, Vat. Lat., vol. 3993, f. 104r.*

Venerabili fratri N., episcopo Wladislaviensi[a)1)].

Venerabilis frater, salutem etc. Dilectus filius Nicolaus Kebde, praepositus Cruzvicensis, cubicularius noster[2)], dedit nobis ex tui parte unam

vestem rubeam, foderatam de zibellinis, quae pulchra est et multum placuit nobis. Et ex ea tibi agimus condignas gratiarum actiones, dispositi ad complacendum tibi, quantum cum Deo possumus, in omnibus, quae concernant statum et honorem tuae personae et ecclesiae tibi commissae. Datum Romae apud Sanctum Petrum, die prima mensis Iunii [1542], anno VIo.

a) *in ms:* Wladislamen

1) *Ioannes Gruszczyński (†1473), R.P. cancellarius, episcopus Vladislaviensis ab a. 1449, a. 1463 ad ecclesiam Cracoviensem, anno vero sequenti ad metropolitanam Gnesnensem translatus.*

2) *Nicolaus Chebda de Niewiesz (†1455), doctor decretorum, canonicus Gnesnensis, cantor Posnaniensis, praepositus Crusvicensis, anno 1447 rector studii universitatis Bononiensis.*

## *N. 6.*

*Romae, 24.X.1452.*

*Nicolaus V pontifex maximus*
*Casimiro IV Iagellonidi regi Poloniae*

*Laudat eum, quod permisit, ut decanatus Cracoviensis possessio Paulo Głowiński, cubiculario suo, traderetur, eumque edocet, quomodo pontifici Romano oboediendum sit.*

*Reg. BAV, Vat. Lat., vol. 3993, f. 77v-78v.*

Carissimo in Christo filio Cazimiro, regi Poloniae illustri[1]).

Carissime in Christo fili, salutem etc. Intelleximus Tuam Serenitatem tandem motam suasionibus nostris et iustitiae cultu permisisse, ut pacifica possessio [78r] decanatus Cracoviensis traderetur dilecto filio Paulo Glowisky, cubiculario nostro[2]), propter quam rem Tuam Serenitatem maxime commendamus. Fecisti enim rem valde gratam nobis, tum propter debitum iustitiae, quam semper in omnibus operibus tuis debes habere ducem et directricem. Inter caetera vero debes exhibere devotionem et debitam reverentiam Vicario Christi, eiusque et Sedis Apostolicae auctoritatem et dignitatem tueri; etiam adversus illos, qui illam impugnare conarentur, ut Rex regum et Dominus dominantium, in cuius manu et potestate et reges et regna consistunt, tibi foveat et prosperum faciat iter tuum. Nos quidem in omnibus rebus, quas viderimus concernere honorem et statum tuum, prompti erimus ad complacendum tibi et te habebimus semper recommissum in visceribus ca[78v]ritatis. Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XXIIIIa Octobris [1542], anno VIo.

1) *Casimirus IV Iagellonides (1427-1492), rex Poloniae ab a. 1447.*

2) *Paulus Głowiński vel Głownia (†1493), ab a. 1450 in servitio reginae Sophiae et postea regis Casimiri, decanatum hunc assecutus est provisione pontificia, sicut patet ex bulla data 16 Kal. Octobris (16 IX) 1450:* quem [decanatum] electus Wladislaviensis [Nicolaus Lasocki], qui apud Sedem Apostolicam, videlicet civitatem Camerinensem, diem clausit extremum [*mortuus est Terni 9 IV 1450*], obtinebat *(cfr Theiner VMPL II p. 85).*

*N. 7.*

*[Romae, 28.X.1452.]*

*Nicolaus V pontifex maximus*
*Sbigneo Oleśnicki, cardinali et episcopo Cracoviensi*

*Gratias ei agit pro opera apud regem Casimirum praestita, ut Paulus Głowiński possessionem decanatus Cracoviensis assequeretur.*

*Reg. BAV, Vat. Lat., vol. 3993, f. 76v-77r.*

Dilecto filio Sbigneo, tituli Sanctae Priscae presbytero cardinali Cracoviensi[1].

Dilecte fili, salutem etc. Commendamus dignis laudibus operam et virtutem, quam forti animo adhibuisti cum Regia Serenitate et ubi opus fuit, ut dilectus filius Paulus Glouuinsky, cubicularius noster, assequeretur pacificam possessionem decanatus Cracoviensis[2], quod summe placuit nobis, et tua diligentia et sollicitudo, absque ullo timore in hac re pro tuenda Sedis Apostolicae auctoritate impensa, est admodum laudanda. Fecisti quidem rem dignam ea dignitate, quam tenes in Ecclesia Dei. Nos quidem tibi ex hoc bono opere reddimur [77r] obligati, exhortantes Tuam Circumspectionem, ut sicut coepisti, velis tueri auctoritatem et dignitatem Sedis Apostilicae et nostram. Quo enim peiora tempora sunt, eo sapientius et diligentius obsistendum est declinantium et aberrantium voluntati. Itaque et in hac causa, et in caeteris occurrentibus, suscipias patrocinium Ecclesiae et fidei, et quoad potes nostram et ipsius Sedis iura et auctoritatem conserves, hoc est, ut alii conservent omni studio coneris. Datum Romae etc [die XXVIII[a] Octobris, anno VI[o]][a].

a) *ex brevi praecedenti.*

1) *Sbigneus Oleśnicki (†1455), episcopus Cracoviensis ab a. 1423, cardinalis creatus a. 1439.*

2) *Cfr supra, N. 6*

*N. 8.*

*Romae, [28.X.1452.]*

*Nicolaus V pontifex maximus*
*Sophiae reginae Poloniae*

*Pro diligentia in negotio Pauli Głowiński coram rege adhibita ei gratias agit, eiusque in Sedem Apostolicam devotionem laudat.*

*Reg. BAV, Vat. Lat., vol. 3993, f. 77r-v.*

Carissimae in Christo filiae [S]ophiae reginae Poloniae illustri[1].

Carissima in Christo filia, salutem etc. Ex tuis litteris intelleximus favorem et diligentiam per te adhibitam penes Regiam Celsitudinem, ut dilectus filius Paulus Glowisky, cubicularius noster, assequeretur pacificam possessionem decanatus [77v] Cracoviensis, de quo antea sibi provideramus[2]. Fecisti rem valde gratam nobis, et ex ea tuam erga nos et Sedem

Apostolicam devotionem maxime commendamus. Vidimus enim Tuam Serenitatem promptam ad ea facienda, quae videas cedere ad honorem nostrum et tuendam nostram et Sedis Apostolicae auctoritatem. Ex hac re et omnipotens Deus retribuet tibi pro laudabilibus meritis tuis, et nos offerimus nos promptos ad ea, quae viderimus esse placita Devotioni Tuae et fidei sinceritati, quam videmus in te esse singularem. Datum Romae etc [28 X 1452][a].

a) *breve hoc sequitur illud ad Oleśnicki datum.*

1) *Sophia Holszańska (1405-1461), quarta uxor regis Vladislai Iagiełło, regina Poloniae ab a. 1424, mater regis Casimiri IV.*

2) *Cfr N. 6.*

*N. 9.*

*[Romae], 4.IV.1457.*

*Callistus III pontifex maximus*
*Casimiro IV Iagellonidi regi Poloniae*

*De studio suo in colligendis adversus Turcas viribus adhibito eum certiorem reddit et Marinum de Fregeno, belli contra crucis hostes suscipiendi in Lithuania et Ruthenia commissarium, commendat.*

*Reg. ASV, Arm. 39, vol. 7, f. 81v-82r (n. 176).*
*— Ed. Raynaldus AE X p. 112.*

Calistus etc.

Carissime in Christo fili, salutem etc. Notam arbitramur Serenitati Tuae gravem ignominiam, fidei orthodoxae superiori tempore ab immanibus Turcis illatam, quantaque calamitas in universum populum christifidelium ex lugenda captivitate Constantinopolitanae Urbis redundet[1]. Quo quidem infortunio, ut par est, commoti, a primordio nostrae assumptionis ad apostolatus apicem[2], [82r] nil aliud cogitavimus, quam ulcisci tantum dedecus et barbarorum rabiem retundere. Ad quod divinum opus cum nostrae facultates non suppeterent, quas quidem, Deum testem invocamus, libentissime etiam ultra posse convertimus, non defuit nec deest nobis animus, et ad vindicandas publicas christianae gentis iniurias omnes catholicos principes indefessa voce incitavimus. Iamque christianus orbis sedulitate hortationum nostrarum commotus est.

Nec minus nos, quantum humano consilio provideri potuit, conati sumus impetum hostium retinere, classemque nostram emisimus, Deum supplices orantes, ut plebis suae sortem misereri dignetur. Cuius clementia continuis lacrimis nostris et orationibus, quas per totum mundum fieri ordinavimus, inclinata, non solum barbaris vires eripuit, ne populo fideli nocere possent, sed christianis animum, robur et potentiam addidit, et Turchum, diabolica audacia exultantem et christianum sanguinem sitientem, cum innumerabili eius exercitu profligavit[3]. Quod si quis consideret, fatebitur rem christianam in maximum discrimen adductam, nullo alio quam divino consilio et virtute liberari potuisse.

Cum igitur tanta opportunitas amittenda[a] non sit, sed nunc maxime instandum censeamus, ne hostis reassumptis viribus acrior, ut solet, irruat

in christianos, omni studio damus operam, ut cruciata ubique publicetur, et christiani potentatus nobiscum conveniant ad exterminationem mahometicae nationis. Mittimus itaque ad Tuam Serenitatem et in regnum tuum dilectum filium Marinum de Fregeno[4], praesentium exhibitorem, qui in Lithuania[b] et in archiepiscopatu Leopoliensi noster et Apostolicae Sedis executor, cruciatam huiusmodi publicet et fideles hortetur et inducat, ut tam piae causae nolint deesse. Ab eo enim intelliget Tua Celsitudo apparatum classis nostrae, quam omnibus viribus nostris accelerari facimus. Ipsum itaque ex corde Tuae Serenitati commendamus, ut eidem pro executione commissionis nostrae opportunis favoribus assistere velis, ut nos vera esse inveniamus, quae nomine Serenitatis Tuae oratores[5] nobis polliciti sunt. Quod proculdubio te facturum certi sumus pro innata Serenitati Tuae fide et religione[c] catholica. Commisimus etiam super praemissis praefato Marino aliqua Serenitati Tuae referenda. Cui tanquam nobis fidem habebis. Datum etc, IIII Aprilis 1457, anno secundo.

Regi Polloniae.

a) *in ms:* admittenda

b) *in ms:* Lictuania

c) *in ms:* relligione

1) *Constantinopolis capta fuit a Turcis die 20.V.1453.*

2) *Callistus III electus fuit die 8.IV.1455.*

3) *prope Albam Graecam (Belgradum) die 14.VII.1456.*

4) *"subdiaconus Parmensis dioecesis, iuris canonici peritus", postea administrator dioecesis Caminensis, cfr N. 80.*

5) *Iacobus Kot de Dębno, decanus Gnesnensis, et alii, qui anno 1455 oboedientiam nomine regis novo pontifici praestiterunt.*

## *N. 10-13.*

*Romae, 4.IV.1457.*

*Callistus III pontifex maximus*
*Ioanni Sprowski, archiepiscopo Gnesnensi*
*Gregorio a Sanok, archiepiscopo Leopoliensi*
*Nicolao Dzierzgowski, episcopo Vilnensi, Ioanni Lutek de Brzezie, archidiacono Gnesnensi, R.P. vicencacellario*

*Expeditionem contra Turcas, olim a Nicolao V, pontifice maximo, indictam, se iterum indixisse nuntiat eiusdemque commissarium, Marinum de Fregeno, commendat.*

*Reg. ASV, Arm. 39, vol. 7, f. 82v-83r (n. 177).*
*— Ed. Theiner VMPL II, p. 113.*

Calistus etc.

Venerabilis frater, salutem etc. Gregis dominici in terris curam gerentes, ne ab infidelibus immanissimis christianus populus laceretur, omni solertia tenemur vigilare et illatas fidei sacrosanctae iniurias toto posse vindicare. Idcirco, cum temporibus nostris Turcorum immanissimus princeps[1] magno cum exercitu et paratu contra christianos insurrexerit, et, proh dolor, Constantinopolitanam urbem, orientale caput et domicilium

fidei, aliasque christianorum provincias et loca impie ac vituperose occupaverit, non sine magna cordis nostri moestitia et animi afflictione, in gregem dominicum, nobis commissum, tot contumelias totque violentias et dedecores a tam perfido hoste illatas recordari possumus, quin, quantum cum Deo possumus, omnes vires et facultates nostrae pro huiusmodi ulciscendis iniuriis et fidei orthodoxae defensione et exaltatione exponamus.

Quam ob rem, aliis facultatibus nostris non sufficientibus, thesaurum Sanctae Matris Ecclesiae, a Domino nostro Jesu Christo nobis commissum, benigne aperientes et generose pro ipsius gregis dominici defensione dispensantes, cruciatam contra ipsos Turcos, a felicis recordationis Nicolao papa V°, praedecessore nostro, indictam[2], apostolica auctoritate confirmavimus et de novo concessimus[3]. Cuius cum in praesenti Lictuaniae[a] et in archiepiscopatu Leopoliensi dilectum filium Marinum de Fregeno deputaverimus executorem et nuntium[4], Fraternitatem Tuam hortamur et stricte requirimus, ac etiam per respersionem sanguinis Domini nostri Jesu Christi, cuius causa agitur, quatenus ipsum Marinum in praemissis omnibus et aliis, per nos ipsi commissis, suscipias propitius commendatum, ac carissimo in Christo filio nostro Poloniae[b] regi illustri, apud quem te plurimum auctoritate posse et gratia scimus, nostram contemplationem velis promovere, ipsique regi adeo efficaciter persuadere, ut tua opera, tuaque industria in praedictis locis, iuxta tenorem litterarum nostrarum, ipsum admissum esse sentiamus.

In quo si, ut decet, laboraveris, non dubitamus[c], quin a praelibato rege omnia ad votum obtinebuntur; quod Suae Serenitati ad maximam gloriam et meritum apud Deum et homines ascribetur, et Tua Fraternitas etiam immortalem coronam laudis consequetur. Commisimus etiam super praemissis praefato Marino aliqua [83r] Tuae Fraternitati referenda, cui tamquam nobis fidem habebis. Datum Romae, apud Sanctum Petrum[d], sub annulo Piscatoris[e], die quarta Aprilis MCCCCLVII, pontificatus nostri anno secundo.

Venerabili fratri archiepiscopo Gnecensi[5].

[...][9].

Aliud Iohanni Litthoni, archi[diacono][f] Gnecensi[6].

[...][9].

Aliud archiepiscopo Leopoliensi[7].

[...][9].

Et aliud episcopo Vilnensi[8].

a) *sic in ms.*

b) *in ms* Polloniae

c) *repetitum et expunctum.*

d) *in ms* Sanctumpetrum

e) *sequitur expunctum:* Millesimo

f) *Theiner legit:* archiepiscopo

1) *Mahomet II Fatih (†1481), sultanus ab a. 1451.*

2) *vigore bullae 30.IX.1453 datae.*

3) *bulla 15.V.1455 data.*

4) *cfr supra N. 9. Transsumptum bullae nominationis Marini, de data 5.VII.1459, ex libris actorum castrensium Leopoliensium depromptum, editum invenitur in Akta grodzkie i ziemskie, t. 6 (Lwów 1876), p. 48.*

5) *Ioannes Sprowski (†1464), archiepiscopus Gnesnensis ab a. 1453.*

6) *Ioannes Lutek de Brzezie (†1471), 1454 archidiaconus Gnesnensis, 1455 R.P. vicecancellarius, dein 1460 episcopus Vladislaviensis, et 1464 Cracoviensis.*

7) *Gregorius a Sanok (†1479), archiepiscopus Leopoliensis ab a. 1451.*

8) *Nicolaus Dzierzgowski (†1467), episcopus Vilnensis ab a. 1453.*

9) *archiepiscopis et episcopis Germaniae et Scandinaviae.*

N. 14.

*[Romae, 13.V.1458].*

*Callistus III pontifex maximus*
*Casimiro IV Iagellonidi, regi Poloniae*

*Pro litteris obsequentialibus gratias agit, eumque admonet, ne cum Turcis indutias ineat, sed ut arma, una cum imperatore Friderico III et Matthia, rege Hungariae, adversus eos convertat.*

*Reg. ASV, Arm. 39, vol. 7, f. 173r-v.*
*— Ed. Theiner VMPL II, p. 114.*

Calistus etc.

Carissime in Christo fili, salutem etc. Delectarunt nos mirandum in modum litterae, quas ad nos misisti, ex quibus intelleximus tuam singularem laudandamque devotionem erga nos et Apostolicam Sedem. Offers enim te obsequentissimum ad ea, quae nos et Sedes Apostolica ordinabit, maxime si negotia fidei et factum perditissimi perfidique Turci[a] concernant. Ob quod Tuam Serenitatem plurimum in Domino commendamus eique benedicimus, hortamurque eam, ut in eiusmodi devotione et sancta voluntate firmo constantique sit animo, et Deus omnipotens, qui quos vult humiliat et exaltat, statum [173v] tuum de bono in melius secundabit.

Quod in praesentiarum[b] a Tua Serenitate petendum esse existimavimus, duo praesertim sunt: unum, ut[c] te omni benevolentia et caritate cum principibus christianis tibi finitimis, et praesertim cum imperatore[1] et rege Hungariae[2], te iungas, eosque tibi concilies; secundo, ut pacis, seu treugarum faciendarum cum perfido Turco[d] conditiones nullas acceptes, sed ne verbum quidem de eis faciendis patiaris fieri; idque sub anathematis et maledictionis perpetuae poena Tuae Serenitati praecipimus et mandamus. Nam inire foedera aut firmare inducias cum hoste christiani nominis nil plane aliud esset, quam formidinem quandam et desperationem ostendere. Ex quo duo christianitati pernitiosissima sequerentur: unum, quod idem perfidus Turcus[e] longe altius erigeret cornua sui detestandi furoris, arbitraretur enim se nactum opportunitatem opprimendi christianitatem, ad quod toto posse anhelat[f]; nec credendum est, quod alia de causa inducias huiusmodi petat, nisi ut earum obtentu incautos et inopinantes christianos invadat; alterum, quod, si christiani potentatus, [qui] assiduis implorationibus nostris ad hoc divinum certamen continue magis excitantur, intelligerent pacem aut inducias cum hostibus fidei initas esse, e vestigio eorum animi relaxarentur, et torpescerent corda bene disposita.

Quocirca, ne tam perniciosa fiant, omni studio et conatu procures obviare, reiectis quibusvis oblationibus et pollicitationibus perfidi hostis, qui, ut est omni feritate et rabie accensus ad effusionem sanguinis christiani, ita insidiosis illecebris et fallacibus oblationibus innititur decipere eos, quos suo nefario proposito maxime obstare posse cognoscit. Melius itaque et laudabilius erit, si vires tuas excitaris, et, ut catholicum regem decet, cum carissimo in Christo rege Hungariae illustri, caeterisque christianis potentatibus unanimi consilio et unitis viribus in hostes fidei viriliter perges, de quibus certissimam victoriam Omnipotens concedet. Significabit Tuae Serenitati nostro nomine haec et alia dilectus filius Io[annes], cardi-

nalis Sancti Angeli, in partibus illis Apostolicae Sedis legatus[3]. Datum ut supra [Romae, 13 Maii 1458].

Regi Poloniae.

a) *ms* Turchi

b) *in ms* impresentiarum

c) *suprascriptum.*

d) *in ms* Turcho

e) *in ms* Turchus

f) *in ms* anelat

1) *Fridericus III Habsburg (†1493) imperator ab a. 1452.*

2) *Matthias Corvinus Hunyadi (†1490), rex Hungariae electus 28 I 1458.*

3) *Ioannes Carvajal (†1469), cardinalis diaconus tituli S. Angeli ab a. 1444.*

## *N. 15.*

*[Mantuae, 13.VIII.1459].*

*Pius II pontifex maximus*
*Vratislaviensibus*

*Invitat eos, hortante Alberto marchione Brandenburgensi, ut una cum Bohemis ad congressum Mantuanum veniant, ubi ipse se mediatorem in componendis eorum discordiis futurum pollicetur.*

*Reg. ASV, Arm. 39, vol. 9, f. 67r.*

*Ed. Markgraf PCB VIII, p. 33 (ex quodam registro Vratislaviensi).*

Slesitis[a].

Pius papa II.

([b]Dilecti filii[b]), salutem etc. Cum ex regno Bohemiae venturos ad hanc Mantuanam dietam[1], hortante dilecto filio, nobili viro Alberto marchione Brandenburgensi[2], oratores speremus pro componendis discordiis inter vos et illos vigentibus[3], hortamur quoque Vestram Devotionem in Domino, ut illis ad nos venientibus, vos quoque ea de causa vestros mittere non differatis. Etenim, cum propter constantem vestrum in fide catholica animum, Apostolica Sedes in gremio suae dilectionis vos habeat, et quieti vestrae, quantum cum Deo potest, consulere cupiat, speramus, adiutore Altissimo, concordiam aliquam, nobis mediatoribus, inter vos secuturam. Ad quod omni studio ex officio nostro intenderemus. Etc. Datum [Mantuae, XIII Augusti 1459, anno primo].

a) *sic in ms.*

b-b) *in ms* dilecte fili

1) *congressus principum in causa belli adversus Turcas a Pio II indictus 10.X.1458.*

2) *Albertus Achilles Hohenzollern (†1486), marchio Brandenburgensis, ab a. 1471 princeps elector imperii.*

3) *Iodocus de Rožemberk, episcopus Vratislaviensis (1456-1467), et Silesii recusabant oboedientiam Georgio a Poděbrady (†1471), qui 2 III 1458 a Bohemis in eorum regem electus erat.*

## *N. 16.*

*Mantuae, 18.VIII.[1459].*

*Pius II pontifex maximus*
*Vratislaviensibus*

*Ad congressum Mantuanum eos iterum invitat et mandat, ne in regem Bohemiae, Georgium a Poděbrady, calumnias instruere pergant.*

*Reg. ASV, Arm. 39, vol. 9, f. 70v-71r.*

Slesitae[a)].

Pius papa II.

Dilecti filii, etc. Quia, salva veritate catholicae fidei, in qua omnes salvamur, summo desiderio cupimus occasionem omnem praecidere, ea non denegando, quae sibi debentur de iure, per quam ad bellum et caedes[b)], inter regem Bohemiae et vos possit veniri. Ideo, cum Serenitas Sua nuperrime ad nos scripserit missuram se oratores ad hanc Mantuanam dietam, optimum factum iudicaremus, ut vestri quoque illo tempore adessent, unaque opera et de expeditione[c)] in Turcos, et de differentiis vestris, secundum Deum, utiliter ageretur[1)]. Quod ut faciatis, plurimum suademus.

Verum, cum intelleximus esse aliquos vestrum, qui multa disseminant, quae famam Suae Celsitudinis non parum offendunt, videntes ex hoc ipso posse gravius aliquod scandalum exoriri, Devotionem Vestram hortamur in Domino, vobisque nihilominus in virtute sanctae oboedientiae praecipiendo mandamus, ut desistere ab huiusmodi calumniis omnino velitis, et ita vos erga eum regem habere, ut, quod ex partium concordia [obtineri posset, depositis][d)] querimoniis, temptari [71r] armis non habeat. Ipse enim quotidie[e)] ad nos scribit velle se[f)] devotum filium Apostolicae Sedis esse et mandata nostra reverenter[g)] accipere, necnon omnia facere et sequi, quae principem catholicum decent. Quod magis ad haec vobis scribenda inducimur, credentes hanc vestram modestiam Deo acceptam et vobis salutarem futuram, ut bona mente complectamini, etiam atque etiam pro consolatione nostra[h)] et confirmatione status et bonae intentionis vestrae[i)] requirimus. Datum Mantuae, XVIII Augusti [1549], anno primo.

a) *sic in ms.*
b) *in ms* sedes
c) *in ms.* expedictione
d) *probabilis reconstructio textus a registrante omissi.*
e) *in ms* quothidie
f) *sequitur expunctum:* votum
g) *in ms* reverentes
h) *in ms* nostrae
i) *in ms* nostrae
1) *cfr supra N. 15.*

*N. 17.*

*[Mantuae, 24.VIII.1459].*

*Pius II pontifex maximus*
*Casimiro IV Iagellonidi, regi Poloniae*

*Petit, ut consignari mandet pecuniam ad expeditionem adversus Turcas in Polonia collectam Nicolao Specymir, denarii S. Petri collectori, qui eam Romam remittet.*

*Reg. ASV, Arm. 39, vol. 8, f. 68r.*
*— Ed. Lewicki CE III, p. 102-103.*

Carissimo in Christo filio Casimiro Regi Poloniae illustri.

Carissime in Christo fili, salutem et apostolicam benedictionem. Nonnullae pecuniarum quantitates, e piis eleemosynis sanctae cruciatae collectae, in aliquibus tuorum dominiorum terris et locis sub tutis dicuntur esse repositae clausuris. Unde Tuam Regiam Celsitudinem requirimus et hortamur, ut adhibitis earum pecuniarum conclavistis et aliis, qui adhibendi fuerint, eas omnes pecunias recludi ac numerari et assignari mandes et procures dilecto filio Nicolao Spiczimiri, cantori Cracoviensi, nostro et Apostolicae Camerae iurium in tuis dominiis generali collectori[1], quem, quid ex eis agere debeat, per breve nostrum plane reddidimus informatum[2]. Nam volumus, ut in destinatum finem debite convertantur. Disponimusque pro viribus nostris, si Deo placeat, frenare superbiam et insolentiam horum perfidorum Turcorum, crucis inimicorum; et iam plurimas in terrestribus et maritimis opportunitatibus exponere pecunias non desinimus. Assistat igitur nobis Tua Regia Maiestas auxiliis et favoribus possibilibus. Provideatur insuper, quod de pecuniis dicto Nicolao consignatis duplex eiusdem tenoris quitantia suscipiatur, quarum una penes consignantes remaneat, alia, quam citius fieri poterit, ad Apostolicam Cameram remittatur. Datum ut supra [Mantuae, sub annulo Piscatoris, die XXIII Augusti MCCCCLVIIII, pontificatus nostri anno primo].

G[erardus] de Vulterris[3]

1) *Nicolaus Specymir de Cracovia (†1469), canonicus et cantor Cracoviensis, collector generalis denarii S. Petri in R.P. annis 1451-1469.*

2) *cfr. N. 23.*

3) *Gerardus Ioannis Maffei de Vulterris, notarius Camerae Apostolicae, registrator et secretarius papae annis 1455-1466.*

*N. 18-22.*

*Mantuae, 24.VIII.1459.*

*Pius II pontifex maximus*
*Ioanni Sprowski, archiepiscopo Gnesnensi*
*Andreae Opaliński, episcopo Posnaniensi*
*Thomae Strzempiński, episcopo Cracoviensi*
*Paulo Giżycki, episcopo Plocensi*
*Nicolao Dzierzgowski, episcopo Vilnensi*

*Iisdem verbis ac in N. 17, mutatis mutandis, petit ut faciant, quo pecunia ad expeditionem contra Turcas parandam collecta,* in aliquibus tuae dioecesis terris et locis reposita, *Nicolao Specymir restituatur.*

*Reg. ASV, Arm. 39, vol. 8, f. 67v-68r.*
*— Ed. Lewicki CE III, p. 102.*

*N. 23.*

*[Mantuae, 24.VIII.1459].*

*Pius II pontifex maximus*
*Nicolao Specymir, R.P. collectori*

*Mandat, ut pecuniam, de qua in N. 17-22, tradat mercatoribus Nurenbergensibus L. et B. Rilinger, qui curent deinde eam A. de Miraballis et A. de Spannocchiis, depositariis Curiae Romanae consignari.*

*Reg. ASV, Arm. 39, vol. 8, f. 68v.*
*— Ed. Lewicki CE III, p. 103.*

Dilecto filio Nicolao Spiczimiri, cantori Cracoviensi, in regno Poloniae iurium Camerae Apostolicae collectori.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem. *[Notum facit se scripsisse regi et episcopis supranominatis de pecunia ipsi tradenda, ut in N. 17-22].* Quas omnes pecunias postquam receperis, absque mora tradere et assignare procurabis dilectis filiis Leonardo et Bernardo Rilinger, mercatoribus Nurenbergensibus in civitate Lubicensi commorantibus, aut eorum legitimo procuratori, supra eisdem responsuris dilectis filiis Alexandro de Miraballis et Ambrosio de Spanocchiis et sociis de Romana Curia, depositariis nostris, et pro nobis et Apostolica Camera recipientibus; ac ab eisdem L[eonardo] et B[ernardo] de solutis duas, more mercatorum, eiusdem tenoris quitantias recipias sufficientes, quarum unam penes te pro tui cautela [retinebis], aliam ad Apostolicam Cameram, quam citius poteris, transmittere non negliges. Datum ut supra [Mantuae, XXIIII Augusti 1459].

G[erardus] de Vulterris

*N. 24.*

*Mantuae, [16.IX.1459].*

*Pius II pontifex maximus*
*Hieronymo Lando, archiepiscopo Cretensi*

*Concedit ei, tamquam nuntio antea ad regem Poloniae Casimirum et ad Ordinem B. Mariae Teutonicorum destinato, potestatem legati a latere cum adnexis facultatibus.*

*Reg. ASV, Arm. 39, vol. 9, f. 81v.*

Archiepiscopo Cretensi[1].

Pius papa II.

Cum Fraternitatem[a] Tuam ad Boemiae et Poloniae regna, nec non ad dominia dilectorum filiorum magistri et fratrum Ordinis Beatae Mariae Teutonicorum nostrum et Apostolicae Sedis nuntium et oratorem ad concordandum inter se dissidentes duximus destinandum, volentes illa tibi concedere, per quae ampliori cum facultate commissionem tibi datam valeas exequi, eidem Fraternitati Tuae in regnis et dominiis antedictis,

dumtaxat dictam te commissione huiusmodi [...][b], potestatem legati de latere, praesentium tenore, concedimus. Datum Mantuae etc [16 Septembris 1459].

a) *correctum ex* ad

b) *evidens omissio aliquot verborum.*

1) *Hieronymus Lando (†1493), vicecamerarius summi pontificis, ab a. 1458 archiepiscopus Cretensis, postea partiarcha Constantinopolitanus.*

## *N. 25.*

*[Mantuae, 16.IX.1459].*

*Pius II pontifex maximus*
*Casimiro IV Iagellonidi, regi Poloniae*

*Nuntiat se Hieronymum Lando nuntium suum ad pacem inter eum et fratres Ordinis B. Mariae Teutonicorum componendam destinasse.*

*Reg. ASV, Arm. 39, vol. 9, f. 82r.*
*— Ed. Theiner VMPL II, p. 120.*

Regi Poloniae[a].

Pius papa II.

Carissime etc. Misimus ad regem Boemiae[1] venerabilem fratrem Ieronimum archiepiscopum Cretensem, nostrum et Apostolicae Sedis ad concordandos inter se ibidem dissidentes[2] nuntium atque oratorem. Cum vero non sine tristitia animi accepimus discordias inter Serenitatem Tuam et dilectos filios magistrum et fratres Ordinis Beatae Mariae Teutonicorum pridem exortas in dies continuare, et non mediocribus malis partes illas affligere[3], cupientes tam diuturnae pesti aliquando finem imponi, et utrique facultatem liberam dari, ut composita domi pace, ad sanctam contra Turcos expeditionem nobiscum et cum caeteris catholicis possint concurrere, dedimus eidem oratori in mandatis, ut, si a Serenitate Tua ac magistro et fratribus antedictis requiri eum contingat, ad vos statim accedere et concordare differentias vestras, quantum potest, nitatur. Haec ideo Sublimitati Tuae et eidem magistro significandum putavimus, [ut] et ad bona opera neutri desit facultas, et ambobus sit notum afflictiones vestras cor etiam nostrum affligere, et pacem fidelium nobis in desiderio esse. Datum etc [Mantuae, 16 Septembris 1459].

a) *in ms sequitur:* magistro Prussiae

1) *Georgium a Poděbrady.*

2) *de discordiis inter regem Georgium et Silesios vide N. 15-16.*

3) *sic dictum Bellum Tredecim Annorum 1454 inceptum.*

## *N. 26.*

*Mantuae, 23.XII.1459.*

*Pius II pontifex maximus*
*Casimiro IV Iagellonidi, regi Poloniae*

*Gaudere se significat habito nuntio, quod ipse vellet cum archiduce Austriae Alberto congredi ad tractandas rationes pacis cum Ordine B. Mariae Teutonicorum ineundae, eumque hortatur, ut istius ducis vel sui legati opera utatur.*

*Reg. ASV, Arm. 39, vol. 9, f. 96r-v.*

*— Ed. Raynaldus AE X, p. 212-213 (erronee ponit anno primo pontificatus Pii II, i.e. 1458).*

Kasimiro regi Poloniae.

Pius papa II.

Carissime in Christo fili, etc. Misimus iamdudum ad Serenitatem Tuam venerabilem fratrem archiepiscopum Cretensem[1] causa pacis inter te et dilectos filios magistrum et fratres Ordinis Beatae Mariae Teutonicorum in Prussia componendae [96v], sperantes, quod ipsa Serenitas Tua, zelo christianae fidei accensa, omnem molestiam ab animo pellens, vias pacis complectatur[2]. Verum quia ferocia Turcorum in christianos in dies plurimum invalescit, non possumus nos continere, quin te, qui in huiusmodi tempestate Christi cultoribus apprime succurrere potes, quotiens nobis occasio nova praebeatur, novis adhortationibus paterne moneamus.

Et quia nuper nobis innotuit Serenitatem Tuam ob hanc causam ambassiatam ad dilectum filium, nobilem virum, Albertum archiducem Austriae[3] destinasse, hortantem, quatenus archidux ipse sese personaliter Wratislaviam, Franchofordiam, seu Gorlyciam conferre velit, ubi et Serenitas Tua personaliter constitui paret, ea res nobis spem praebuit huiusce pacis assequendae, quam, ob respectum praemissorum, pro praesentium temporum qualitate, qualibet alia pace praeoptamus. Ideoque Serenitatem Tuam in visceribus misericordiae domini nostri Jesu Christi commonentes adhortamur, quatenus aliqua illarum viarum, seu interventu legati nostri, sive dilecti filii archiducis praedicti, vel utriusque eorum, etiam si diverso calle procedant, cum tamen ad unum finem pervenire nitantur, pacem praestes toti orbi christiano praeoptabilem. Ex quo, praeter retributionis divinae proemium, favores populi christiani publice ac privatim assequeris. Datum Mantuae, XXIII Decembris [1459], anno II°.

1) *Hieronymum Lando.*
2) *cfr N. 25.*
3) *Albertus VI Habsburg († 1463), frater imperatoris Friderici III, archidux Austriae ab a. 1453.*

## *N. 27.*

*Mantuae, 23.XII.1459.*

*Pius II pontifex maximus*
*Hieronymo Lando et Francisco de Toledo nuntiis*

*Laudat eorum prudentiam et solertiam continue adhibitam in rebus in Bohemia agendis, et mandat Hieronymo, ut,* expedita prima commissione, visa copia *[litterarum ad regem Casimirum datarum, N. 25]* praesentibus introclusa, si tractatum pacis huiusmodi et conventum denotatum inter Polonos et Pruthenos fieri videbis, sinito eis sic conventuris primas partes tractandi, et nihilominus etiam, annuentibus partibus, quicquid boni potes, assistentia tua sedulo operare.

*Reg. ASV, Arm. 39, vol. 9, f. 96v-97r.*
*— Ed. Lewicki CE III, p. 104.*

*N. 28.*

*Mantuae, 11.I.1460.*

*Pius II pontifex maximus*
*Vratislaviensibus*

*Consilia pacis inter eos et Georgium regem Bohemiae, necnon nuntios suos in hac causa missos commendat.*

*Reg. ASV, Arm. 39, vol. 9, f. 98r.*

Universitati civitatis Wratislaviensis.

Pius papa II.

Dilecti filii, salutem etc. Cupientes, quantum cum Deo possumus, gravioribus scandalis obviare, quae verisimiliter non praeveniendo possunt accidere, scripsimus nonnulla venerabili fratri nostro archiepiscopo Cretensi[1] et dilecto filio Francisco de Toleto[2], oratoribus nostris, ex quibus iudicium et intentionem nostram circa factum pacis et concordiae inter vos et regem Boemiae componendae[3] plane poteritis intelligere. Hortamur vos in Domino, quos paterna caritate diligimus, ut consilia nostra velitis amplecti. Datum Mantuae, XI Ianuarii, anno 2°, 1460[4].

Simile regi Boemiae.

1) *Hieronymus Lando.*
2) *Franciscus de Toleto († 1479), magister theologiae, postea (1474) datarius Sixti IV.*
3) *cfr N. 15, 16.*
4) *alia brevia posteriora de eodem negotio edidit Markgraf PCB IX, p. 15, 16, 33.*

*N. 29.*

*Romae, 14.X.1470.*

*Paulus II pontifex maximus*
*Casimiro IV Iagellonidi, regi Poloniae*

*Petit, ut oratoribus Ioannis III, ducis Moscoviae, ad se venientibus liberum transitum concedat.*

*Reg. ASV, Arm. 39, vol. 12, f. 15r-v. In margine sinistro nota:* sub plumbo *(bulla expedita per viam brevium et inter brevia registrata).*
*— Ed. Theiner VMPL II, p. 167.*

Paulus etc.

Carissimo in Christo filio nostro etc Kazimiro Poloniae regi illustri, salutem etc. Cum dilectus filius, nobilis vir Iohannes, Valodomeriae[a], Muscoviae, Novagorodiae, Paskoviae[a] etc magnus dux, insignis memoriae Basilii magni ducis natus[1], nonnullos suos oratores ad nos mittere intendat, cupimus pro debito nostri pastoralis offitii, ut ipsi oratores mittendi humane et benigne ubique recipiantur et tractentur. Quare hortamur Serenitatem Tuam in Domino, velis pro nostra et Apostolicae Sedis reverentia, etiam pro bonitate tua, eis liberum transitum per regnum tuum Poloniae et alia dominia tua dari facere ac benigne tractari, ita ut sine aliquo impedimento ad nos venire et ad propria redire valeant. Quod quamvis te libenter facturum non dubitamus, voluimus tamen Serenitati Tuae significare, hoc nobis [15v] gratissimum futurum. Datum Romae, apud Sanctum Petrum, anno incarnationis Dominicae M° CCCCLXX°, pridie Idus Octobris[b], pontificatus nostri anno septimo.

a) *sic in ms.*

b) *sequitur expunctum:* 1470.

1) *Ioannes III (1440-1505), filius Basilii II, dux Moscoviae ab a. 1462.*

## *N. 30.*

*Romae, 31.XII.1470.*

*Paulus II pontifex maximus*
*Casimiro IV Iagellonidi, regi Poloniae*

*Protestatur se esse contrarium pactis per eius oratores prope oppidum Radicz cum Georgio rege Bohemiae initis, et invitat ad bellum adversus istum regem eiusque asseclas, tamquam haereticos, movendum.*

*Reg. ASV, Arm. 39, vol. 12, f. 65v-66r. In margine sinistro nota:* sub plumbo *(cfr. N. 29).*

Paulus etc, carissimo in Christo filio nostro Cazymiro, Poloniae regi illustri, salutem etc. His[a] proximis diebus pervenit ad auditum nostrum, quod non sine magna cordis displicentia accepimus, quosdam, qui se Serenitatis Tuae oratores dixerunt, nuper apud damnatum haereticum Ge[orgium] de Podiebrat, cum adversus christifideles, et praesertim carissimum in Christo filium nostrum Matthiam, Hungariae regem illustrem, in castra exiisset, prope oppidum Radicz fuisse[1], contra decreta sanctorum patrum et emanatas a nobis, etiam sub gravissimis censuris, litteras, cum eodem haeretico et complicibus suis publica commertia et, quod damnabilius est, etiam tractatus et conventiones habuisse. Ex quibus, cum dicti transgressores, sicuti fide digna relatione percepimus, eisdem haereticis[b] inter alia promiserint, quod nos medio tuo et nonnullorum aliorum principum, quos tunc nominabant, compactata eorum per Apostolicam Sedem damnata[2], etiam faciliter confirmaremus et censuras latas penitus tolleremus, perfidorum haereticorum illorum animi non parum confortati et catholicorum deiecti sunt, maximumque negotiis catholicae fidei detrimentum illatum, ut taceamus, quod honorem Apostolicae Sedis, nostrum ac etiam Tuae Serenitatis vehementer offenderunt.

Nos autem, carissime fili, etsi firmiter credamus homines illos aut tuos non fuisse, vel a Tua Serenitate nihil[c] talium in commissis habuisse, quem non dubitamus, veluti decet catholicum regem et principem, haereticorum commertia abhorrere et potius, ut nos ad exstirpandos obstinatos illos pro sua virili aliquando iuvet, quam[d] ut eos in sua perfidia confirmaremus cogitare, voluimus tamen haec[e] Tuae Serenitati significare[f], ut et tu, si ad te pervenient huiusmodi tantorum malorum fabricatores, tamquam excommunicatos et anathemate innodatos ac rei publicae christianae hostes, debita castigatione coerceas[g] et ita cohibeas, quod ipsos de sua temeritate peniteat et, ne talia praesumant, sint caeteris ad exemplum.

Hortamur etiam Serenitatem Tuam, quatenus pro divina reverentia et fidei catholicae professione ac honore suo, contra ipsos haereticos insurgere velit, et fidelibus catholicis taliter assistere; quod Serenitas Tua ab omnipotente Deo proemia meritorum et ab hac Sancta Sede uberiores commendationes atque a tota re publica christiana [66r] laudem et honorem deportet. Id, ut[h] quam citius faciat Serenitas Tua, etiam obnixe requirimus. Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno etc, 1470, pridie Kalendas Ianuarii, anno septimo.

L[eonardus] Dathus[3]

a) *in ms* Hiis
b) *in ms* haeretici
c) *in ms* nichil
d) *in ms* et
e) *suprascriptum pro expuncto* et
f) *adscriptum in margine*
g) *in ms* coherceas
h) *suprascriptum pro expuncto* et

1) *agitur forsitan de cancellario regni Iacobo de Dębno et castellano Zarnoviensi Stanislao Szydłowiecki, oratoribus regiis ad Georgium de Poděbrady, quem in oppido Malenovec mense Augusto 1470 convenerunt, de conciliando isto rege cum catholicis Bohemis tractaturi.*
2) *Compactata Pragensia, concessio communionis sub utraque specie a Concilio Basileensi 1433 Bohemis impartita et a Pio II a. 1462 revocata.*
3) *Leonardus Dati († 1472), litterarum cultor, secretarius Callisti III, Pii II et Pauli II; ab a. 1467 episcopus Massanensis.*

## *N. 31.*

*Romae, 16.II.1471.*

*Paulus II pontifex maximus*
*Erico II duci Pomeraniae*

*Petit, ut comprimat A. et L. de Eberstein, invasores domorum canonicorum Caminensium, eosque ad restitutionem bonorum depraedatorum compellat.*

*Reg. ASV, Arm. 39, vol. 12, f. 244r-v.*

Erico Pomeraniae duci[1]

Dilecte fili, salutem etc. Intelleximus non sine animi dolore, quod dilecti filii Albertus et Ludovicus, germani, comites de Ebersteyn[2], [244v] nullam rationem honoris et famae suae habentes, spreto Dei timore, in praeiudicium ecclesiasticae libertatis et gravissimum animarum eorum periculum, contra omnia iura et sanctorum patrum statuta ac decreta, aggressi sunt domos canonicorum singularumque personarum ecclesiasticarum ecclesiae Caminensis, et ex illis omnia, quae absportari poterant,

absportarunt, et quae non poterant, destruxerunt, personas ipsas ecclesiasticas invadendo.

Quae cum a christianis et piis mentibus sint aliena et minime conniventibus oculis pertranseunda, supplicatum nobis fuit, dignaremur paterne super his providere. Et cum ipsi consiliarii Tuae Nobilitatis esse dicuntur, et in tuo dominio haec perpetrarint nefandissima, hortamur Nobilitatem Tuam in Domino, velis pro debito iustitiae et religionis zelo, tamquam catholicus et optimus princeps, statum ecclesiasticum commendatum habere, ipsosque malefactores ad condignam satisfactionem compellere, ut[a] aliis transeat in exemplum. Quod te, pro rei conditione et bonitate tua[b], facturum libenter confidimus. Facies rem Nobilitate Tua dignam, ab omnibus bonis laudandam, tibi honorificam, Deo imprimis acceptam ac nobis gratam. Secus si fieret (quod non credimus), alia iuris remedia in confusionem illorum comitum, in quo omnibus sumus debitores, adhibebimus, donec robore confusi et poenitentia ducti, erratum confiteantur et se emendent et ablata restituant. Datum [Romae] apud Sanctum Petrum, XVI Februarii 1471, anno septimo.

L[eonardus] Dathus

a) *sequitur expunctum* ut

b) *sequitur* te

1) *Ericus II († 1474), ab a. 1459 dux Slupscensis et Stetinensis.*

2) *ex ipsis Ludovicus de Eberstein-Neugarten electus est a capitulo episcopus Caminensis post obitum episcopi Henningi eodem ipso anno 1471 et statim ad resignandum coactus.*

## *N. 32.*

*Romae, 3.VII.1471.*

*Paulus II pontifex maximus*
*Nicolao Tungen, episcopo Varmiensi*

*Notificat se gravioribus de causis nominationem ipsius ad ecclesiam Varmiensem retraxisse, eumque invitat, ut eiusmodi retractionem aequo animo ferat.*

*Reg. ASV, Arm. 39, vol. 12, f. 167r-v.*
*— Ed. Theiner VMPL II, p. 172.*

Venerabili fratri N[icolao], episcopo Warmiensi[1].

Venerabilis frater, salutem etc. Deliberavimus supersedendum esse in negotiis istius Warmiensis ecclesiae, quod aequo animo ferre debes. Communis [reipublicae] christianae utilitas ad hanc nos deliberationem induxit[2]. Monemus igitur Tuam Fraternitatem in Domino, ut tam in fulminatione censurarum, [167v] processuumque et possessionis capiendae prosecutione, quam in reliquis aliis ad eas res spectantibus, omnino debes supersedere, quousque a nobis aliud habueris in mandatis. Persuasumque tibi habeas, nos rationem tui et habere et habituros esse, adeoque de nobis

merito conquiescere et consolari poteris. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc, die III Iulii 1471, anno septimo.

L[eonardus] Dathus

1) *Nicolaus Tungen († 1489), clericus Curiae Romanae, 1467 ad sedem Varmiensem a Paulo II promotus; nominationem hanc rex Poloniae, ratione sui status inductus, recognoscere noluit.*

2) *cfr N. 44.*

*N. 33.*

*Romae, 14.VII.1471.*

*Paulus II pontifex maximus*
*Laurentio Roverella, episcopo Ferrariensi, in regno Bohemiae nuntio*

*Gratias agit pro litteris, quibus recentiora nuntiat, praesertim de electione Vladislai, filii Casimiri regis Poloniae, in regem Bohemiae; describit, quid cum oratoribus Polonis Romae egerit de pace cum Pruthenis confirmanda et sequacibus regis ab excommunicatione absolvendis, deque ipsa electione novi regis Bohemiae; hortatur, ut rationes Matthiae Corvini, regis Hungariae, promoveat.*

*Reg. ASV, Arm. 39, vol. 12, f. 179v-180r.*
*— Ed. A. Theiner, Vetera monumenta historica Hungariam Sacram illustrantia, T. 2, Romae 1860, p. 426-427.*

Venerabili fratri L[aurentio] episcopo Ferrariensi, nuntio et oratori nostro cum potestate legati de latere[1].

Paulus papa II.

Venerabilis frater, salutem etc. Fraternitatis Tuae litterae, quas die tertia Iunii Iglaviae[2] de multis isthic occurrentibus diligenter scripsit, quarta praesentis mensis nobis assignatae fuerunt. Earum lectione plene accepimus ea, quae de persona dilecti filii, nobilis viri Ladislai, primogeniti carissimi in Christo filii Kazimiri Poloniae regis illustris, illorum acclamantium studio acta fuerunt in dieta in Cuthnarum Montibus proxime celebrata[3], et quae deinde Fraternitas Tua [facienda] hortatur, et quae carissimus in Christo filius noster Matthias, Hungariae rex illustris, ac dilecti filii catholici barones magnopere cupere videntur, ut scilicet propterea Poloniae regem praefatum super his paterne moneamus, pariter intelleximus.

Igitur praesentium latorem, ([a]nuntium nostrum specialem[a]), dilectum filium Fabianum de Montepolitiano, nostrae Camerae Apostolicae clericum[4], ea de re ad ipsum mittimus, qui regem ipsum Hungariae, Fraternitatem Tuam et dilectum filium Gabrielem[5], ex nostro nomine prius conveniat et vos de cunctis, quae sibi mandavimus, faciens certiores, a vobis quoque instructus illuc deinde perveniat. Et ne deinde astu malorum in vulgus figmenta spargantur, qualia praesertim illi, de quibus superioribus litteris scripsisti[b], de istis, de quibus nunc scribis, multorum decipiendorum causa iactarunt, firmiter teneat Fraternitas Tua abbatem Montis Sanctae Crucis et Iacobum de Dompno, eiusdem regis oratores[6], qui a nobis novissime recesserunt, quidquid ipsi fortassis dicturi sunt, nihil circa

rem Bohemicam nobiscum egisse, quamvis primo eorum adventu aliquid dixerint, nam Iersici mors[7] de his eorum intercepit mandata, quem praecipue reconciliare volebant.

Tractarunt de Pruthenorum pace confirmanda[8], deque absolutione venerabilis fratris Vincentii episcopi Culmensis, qui se in Warmiensem ecclesiam intruserat[9], et quorundam aliorum[10], quos denique de venerabilium fratrum nostrurum S.R.E. cardinalium consilio absolvi mandavimus[11], cum per insignes oratores ob hoc quater supplicatum fuisset. Pruthenorum vero negotia, quantum ad eiusmodi pacem attinet, quo erant statu dimisimus.

Et demum, cum oratores praedicti recessuri equos conscendissent, essentque ex ipso fere itinere revocati, [180r] propter ea, quae in tuis tunc acceptis litteris continebantur, idem Iacobus ad nos concessit, quae a Tua Fraternitate prolata erant. Ei aperuimus, eisdem venerabilibus fratribus nostris praesentibus, et iustas admirationis causas, cur dilectus filius praefatus regis sui primogenitus, quem paterne diligimus, eodem genitore suo patiente, voluerit in ea dieta, haereticorum turba acclamante, [se] Bohemiae regem sic tumultuarie dici; [et] indignum videri Matthiam, Hungariae regem, a catholicis electum et de fide benemeritum, iis incommodis affici; melius fore pacifice[c], quam armis decernere, aut id diffinire iustitia mediante, quam nos ultra administraturos polliciti sumus. Acceptavit ille tantum, quae pro rege suo voluit, reliqua non. Ex cuius quoque ore, sive de industria, sive de improviso, excidit hoc: videlicet optimum esse suo iure possidere, quod quisque hoc tempore in istis partibus tenet. Pacis insuper media laudavit, rogans, ut super ea tractatus quisquis haberetur et modus.

Videt itaque Fraternitas Tua, quomodo acceptis litteris tuis, ea quae in eis continebantur opere illico complentes, proposito bono firmamur atque constantia, et, ut omnia bene succedant, vigorem animi non intermittimus. Tu etiam carissimum in Christo filium nostrum Hungariae regem praefatum, sicut consuevisti, adhortari debes, ut in sententia persistens, quae coepta sunt semper bono animo prosequatur, neque ab instituto desistat. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc., die XIIII Iulii 1471 etc., anno septimo.

L[eonardus] Dathus

a-a) *adscriptum in margine.*

b) *sequitur* et

c) *in ms* pace

1) *Laurentius Roverella († 1474), datarius summi pontificis, episcopus Ferrariensis ab a. 1460.*

2) *Jihlava in Moravia, ubi Matthias Corvinus rex Bohemiae a minore parte nobilitatis Bohemicae electus erat.*

3) *conventus nobilitatis Bohemicae in Kutná Hora, ubi 27.III.1471 Vladislaus, filius regis Casimiri Iagellonidis, rex Bohemiae electus est.*

4) *Fabianus de Monte Politiano (Montepulciano), de quo infra in N. 34-43.*

5) *Gabriel Rangone († 1486), Veronensis, regis Matthiae consiliarius, postea 1472 episcopus Albensis, 1475 Agriensis, 1477 S.R.E. cardinalis.*

6) *Michael de Clepardia OSB († 1476), abbas monasterii Montis S. Crucis ab a. 1450 et Iacobus de Dębno († 1490), cancellarius regni annis 1469-1473.*

7) *i. e. mors regis Georgii (Jiři) de Poděbrady 22.III.1471.*

8) *Pax Toruniae a. 1466 stipulata inter regem Poloniae et fratres Ordinis B. Mariae Teutonicorum.*

9) *Vincentius Kielbasa († 1479), episcopus Culmensis a 1.IV.1467; eodem anno a rege Casimiro ad episcopatum Varmiensem adversus Nicolaum Tungen promotus, censuras ecclesiasticas incurrit.*

10) *Pruthenorum, qui excommunicati erant eo, quod partes regis Casimiri adversus Ordinem Teutonicorum tenebant.*

11) *cfr bullam de die 2.VII.1471, qua potestatem absolvendi eos Iacobo de Sienno, episcopo Vladislaviensi, delegat (ed. Lewicki CE III, p. 153).*

N. 34.

Romae, 15.VII.1471.

*Paulus II pontifex maximus*
*Derslao Karnicki, denarii S. Petri in R.P. collectori*

*Committit ei, ut summam 200 ducatorum auri Fabiano de Monte Politiano, nuntio suo ad regem Poloniae, persolvat.*

*Reg. ASV, Arm. 39, vol. 12, f. 178v.*
*— Ed. Lewicki CE III, p. 154-155.*

Collectori Poloniae[1].

Dilecte fili, salutem etc. Conveniet fortassis te dilectus filius Fabianus de Monte Politiano, nostrae Apostolicae Camerae clericus, nuntius noster, praesentium lator, quem ad carissimum in Christo filium nostrum Kazimirum, Poloniae regem illustrem, mittimus pro quibusdam negotiis pertractandis[2]. Et quia possibile est, quod ei pro emergentibus rebus aliquando pecuniae sint defuturae, volumus et tibi committimus et mandamus, quod tu, cum ab eo fueris requisitus, ei persolvas usque ad summam et quantitatem ducentorum auri de Camera[a]. Quod cum feceris et duplicem quietantiam ab eo acceperis, alteramque apud te retinueris, altera ad[b] praesidentes dictae Camerae transmissa, in tuis computis admitti mandamus. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc., die XV Iulii 1471, anno septimo.

L[eonardus] Dathus

a) *sequitur expunctum:* debitorum
b) *in ms* apud
1) *Derslaus Karnicki vel de Karnice († 1493), 1458 scholasticus Plocensis et dein canonicus Cracoviensis, collector generalis denarii S. Petri in Polonia annis 1471-1475.*
2) *cfr N. 35-43.*

N. 35.

Romae, 15.VII.1471.

*Paulus II pontifex maximus*
*Casimiro IV Iagellonidi, regi Poloniae*

*Refert, quid de electione eius filii Vladislai in regem Bohemiae legatus F. Piccolomini et nuntius L. Roverella sibi scripserint, quidque ipse de ea cum eius oratore Iacobo de Dębno egerit; nuntium suum, de his omnibus acturum, commendat.*

*Reg. ASV, Arm. 39, vol. 12, f. 176r. In margine sinistro nota:* sub plumbo *(cfr N. 29).*
*— Ed. Lewicki CE III, p. 154.*

Paulus etc., carissimo in Christo filio nostro Kazimiro, Poloniae [regi] illustri, salutem etc. Scripsit ad nos dilectus filius noster F[ranciscus],

Sancti Eustachii S.R.E. cardinalis Senensis[1], apud Ratisponensem dietam legatus noster de latere, quaedam, quae in Montibus Cuthnae in Bohemia[a] acta fuerunt de persona dilecti filii Ladislai, primogeniti tui, quem revera plurimum atque paterne amamus. Eadem etiam venerabilis frater Laurentius episcopus Ferrariensis significavit[2]. Unde, licet aliqua oratori apud nos tuo, dilecto filio Iacobo de Dampno dixerimus[3], cupientes tamen, quantum cum Deo possumus, apte intercedere, ne inter christianos principes scandala suscitentur, hoc praesertim tempore, quo fidei hostes latissime bacchantur et irruunt, latorem praesentium, dilectum filium Fabianum de Montepolitiano, nostrae Camerae Apostolicae clericum, nuntium nostrum specialem[b], ad Celsitudinem Tuam[c] mittimus. Exponet ipse nonnulla nomine nostro. Cuius dictis Serenitas Tua fidem velit habere indubiam, quemque, ut confidimus et sicut te maxime decet, attente audire ac per eum exponenda pro tua in christianam fidem religione et pro nostra summa consolatione, hoc tam necessario tempore, pariter placeat exaudire. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc., anno Incarnationis Dominicae M°CCCCLXXI°, Idibus Iulii, pontificatus nostri anno septimo.

L[eonardus] Dathus.

F. de Placentinis

a) *correctum ex:* re Bohemica

b) *in ms* spetialem

c) *in ms* Celsitudinis Tuae praesentium

1) *Franciscus Todeschini-Piccolomini († 1503), cardinalis tituli S. Eustachii et episcopus Senensis ab a. 1460, postea summus pontifex Pius III.*

2) *cfr. N. 33.*

3) *cfr ibidem.*

*N. 36-43.*

*Romae, 18.VII.1471.*

*Paulus II pontifex maximus*
*4 praelatis ecclesiasticis et*
*4 dignitariis laicis Poloniae*

Quattuor credentialia ad praelatos et quattuor ad laicos, mutatis mutandis, pro domino Fabiano *de Monte Politiano, quem mittit nuntium suum ad regem Poloniae Casimirum* pro nonnullis arduis negotiis, quae in praesenti occurunt, apud eius Regiam Maiestatem pertractandis.

*Reg. ASV, Arm. 39, vol. 39, vol. 12, f. 178v-179r.*

*— Ed. Theiner VMPL II, p. 172 (inscribit archiepiscopo!); Lewicki CE III, p. 155.*

N. 44.

Romae, 31.XII.1471.

*Sixtus IV pontifex maximus*
*Casimiro IV Iagellonidi, regi Poloniae*

*Notum facit se Nicolaum Tungen ab ecclesia Varmiensi ad Caminensem transtulisse et eius loco Andream Oporowski, nominatum regium, suffecisse; quod autem de Vincentio Kiełbasa statutum fuerit, eius oratores relaturos esse nuntiat.*

*Reg. ASV, Arm. 39, vol. 14, f. 92r-v.*
*— Ed. Lewicki CE III, p. 160.*

Carissimo in Christo filio nostro Casimiro, Poloniae regi illustri.

Carissime in Christo fili noster, salutem *etc.* Transferentes nuper venerabilem fratrem N[icolaum] episcopum Varmiensem ad Caminensem ecclesiam[1], praefecimus ipsi [92v] Varmiensi ecclesiae in episcopum et pastorem venerabilem fratrem Andream[2], nobis et venerabilibus fratribus nostris S.R.E. cardinalibus ob virtutes et probitatem eius acceptum et carum, quem Tua quoque Maiestas nobis et sanctae memoriae Paulo II, immediato praedecessori nostro, tamquam tibi gratum et utilem, per litteras et nuntios saepius commendavit. Ob quod confidimus et ecclesiae ipsi Varmiensi in spiritualibus et temporalibus salubriter in Domino providisse, et Tuae Serenitati, quam merito magni facimus, rem fecisse iucundam[a] et gratam. Quid autem haec Sancta Sedes de venerabili fratre Vincentio, Culmensi episcopo[3], pro [quo] tam efficaciter intercessisti, statuerit, tui nuntii, qui aestate praeterita hic fuerunt[4], Tuae Maiestati significarunt. Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die ultima Decembris MCCCCLXXI, pontificatus nostri anno primo.

L[eonardus] Grifus[5]

a) *in ms* jocundam

1) *translatio haec locum habuit 16.XII.1471; de absolutione a vinculo ecclesiae Varmiensis cfr N. 32.*

2) *Andreas Oporowski († 1483), qui tamen numquam ad possessionem episcopatus Varmiensis admissus est et post reconciliationem Nicolai Tungen cum rege ad sedem Premisliensem (1479) et dein Vladislaviensem (1481) translatus.*

3) *cfr N. 33.*

4) *Iacobus de Dębno et Michael de Clepardia (cfr N. 33).*

5) *Leonardus Griffi († 1485), secretarius Sixti IV, 1472 episcopus Eugubinus, 1482 archiepiscopus Beneventanus.*

N. 45.

Romae, 3.III.1472.

*Sixtus IV pontifex maximus*
*Derslao Karnicki, denarii S. Petri in R.P. collectori*

*Commissio exsecutionis supplicationis regiae a pontifice maximo signatae.*

*Reg. ASV, Arm. 39, vol. 14, f. 170v-171r.*

Dilecto filio collectori nostro in provincia Gnesnensi[1].

Dilecte fili *etc.* Videbis supplicationem, quam tibi mittimus praesentibus introclusam, nomine carissimi in Christo filii nostri Cazimiri, Poloniae regis illustris, nobis exhibitam, manu nostra signatam. Volumusque, et tibi [171r] committimus et mandamus, ut ad executionem contentorum in ea procedas, iuxta ipsius continentiam et signaturam nostram. Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die III Martii 1472, pontificatus nostri anno primo.

1) *Derslaus Karnicki, cfr N. 34.*

## *N. 46.*

*Romae, [21.IV.1472].*

*Sixtus IV pontifex maximus*
*Ioanni Pieniążek, decano Lanciciensi*

*Concedit ei salvum conductum in terris Status Pontificii, ubi ipse se conferre desiderat creditoribus satisfaciendi causa.*

*Reg. ASV, Arm. 39, vol. 14, f. 230r.*
*— Ed. Lewicki CE III, p. 163-164.*

Dilecto filio Jo[anni] Penuseck de Vitovice, decano Lanciciensi[1].

Dilecte fili, salutem et etc. Cum, sicuti nobis exponi fecisti, ad Almam Urbem aliasque nostras et S.R.E. terras et loca accedere cupias animo et intentione satisfaciendi nonnullis creditoribus, quibus in certis pecuniarum summis, tam ratione fideiussionis, quam alias, obligatus existis, vel cum eis concordandi, id autem sine nostro salvo conductu facere non audeas, nos attendentes, quod huiusmodi accessus non minus ipsis creditoribus, quam tibi utilis est futurus, supplicationibus pro parte tua nobis porrectis inclinati, tibi ad ipsam Almam Urbem caeterasque[a] nostras et dictae Ecclesiae civitates, terrasque et loca quaelibet veniendi, in eis versandi, secedendique ab eis, redeundi ad ea libere, licite et impune, plenam securitatem et validum salviconductum concedimus per praesentes; mandantes omnibus et singulis nostris et dictae Ecclesiae officialibus ubilibet constitutis, quocumque nomine nuncupentur, quatenus durante huiusmodi nostro salvoconductu nullam molestiam realem seu personalem tibi inferre audeant, aut ab aliis patiantur inferri. Non obstantibus debitis civilibus, per te cum quibuscumque, praeterquam cum Camera Apostolica, contractis. Praesentibus ad bimestre dumtaxat a data praesentium computandum duraturis. Datum Romae ut supra [21 Aprilis 1472, pontificatus nostri anno primo].

L[eonardus] Grifus

a) *sequitur expunctum* urbes

1) *Ioannes Pieniążek de Witowice († 1490), homo inquietus, anno 1461 Romae decanatum Lanciciensem provisione pontificia assecutus est et multa debita contraxit.*

*N. 47.*

*[Romae, 13.VII.1472].*

*Sixtus IV pontifex maximus*
*consulibus civitatis Stetinensis*

*Adhortatur eos, ut fratres Ordinis B. Mariae de Monte Carmeli, vigore litterarum Pii II in civitate Stetinensi receptos, admittant, vel eis alium locum in dioecesi Caminensi assignent.*

*Reg. ASV, Arm. 39, vol. 14, f. 326v-327r.*

Consulibus oppidi Stetinensis[a], Caminensis dioecesis.

Dilecti filii, salutem et etc. Rem piam et nostro pastorali officio imprimis convenientem facere nos existimamus, cum religiosas personas, [327r] quae humanis abiectis illecebris, castum Altissimo famulatum exhibere conantur, favoribus prosequimur opportunis, ut quo quietiores fuerint, eo acceptius promissum Deo obsequium reddere valeant. Itaque iustis ac devotis dilectorum filiorum fratrum Beatae Mariae de Monte Carmeli precibus inclinati, Devotionem Vestram paterna in Domino caritate hortamur, ut eosdem in loco oppidi vestri Stetinensis, dioecesis Caminensis, per vestros praedecessores ipsis pridem assignato, quem ipsi vigore litterarum sanctae re[cordationis] Pii II, praedecessoris nostri, receperunt, iuxta ipsius praedecessoris nostri litteras moram trahere et Domino virtutum in regulari observantia famulari permittatis, eosque caritate, humanitateque debita prosequamini, vel si forte aliquo nobis incognito respectu moti[b] id faciendum non putaretis, saltem unum ex locis commodioribus extra ipsum oppidum existentibus eisdem et tradatis et assignetis; sane a Deo proemium et apud hanc Sanctam Sedem Apostolicam uberem commendationem consequemini.

Nos vero, ut id commodius ac rectius fiat, ex nunc auctoritate apostolica locum huiusmodi extra oppidum (sine tamen iuris alieni praeiudicio) recipiendi et in eodem in regulari observantia vivendi, praefatis fratribus tenore praesentium indulgemus; decernentes, ut fratres, qui pro tempore locum huiusmodi incolent, omnibus privilegiis, exemptionibus, gratiis ed indultis, quibus alii dicti ordinis potiuntur et gaudent, potiri gaudereque possint. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Datum ut supra [13 Iulii 1472, anno primo].

L[eonardus] Grifus

a) *in ms* Stenien
b) *sequitur* ad

*N. 48.*

*Romae, 28.VII.1472.*

*Sixtus IV pontifex maximus*
*Casimiro episcopo Plocensi*

*Hortatur eum, ut Derslaum Karnicki, procuratorem cardinalis Iuliani della Rovere, ad pacificam possessionem praepositurae Plocensis admittat.*

*Reg. ASV, Arm. 39, vol. 14, f. 341v-342r.*
*— Ed. Theiner VMPL II, p. 175.*

Venerabili fratri Kazimiro episcopo Plocensi[1].

Venerabilis frater, salutem etc. Praeposituram istius Plocensis ecclesiae, quae prima post pontificalem dignitas est, certo modo vacantem et nostrae dispositioni reservatam, dilecto filio nostro Iuliano, tituli Sancti Petri ad Vincula presbytero cardinali, nostro secundum carnem nepoti[2], contulimus, prout in apostolicis litteris desuper confectis plenius continetur. Cupientes huiusmodi nostram provisionem, personae benemeritae ac[a] dignissimae factam, demandari effectui, Fraternitatem Tuam, de cuius singulari prudentia et probitate fiduciam in Domino gerimus singularem, per praesentes paterna caritate hortamur, ut pro nostra et Sanctae Sedis Apostolicae reverentia, velis dilectum filium Derslaum[b] Michaelis, fructuum Camerae Apostolicae in regno Poloniae collectorem nostrum[3], nomine ipsius [342r] cardinalis nepotis nostri, cuius est procurator, ad liberam, pacificam et expeditam antedictae praepositurae, iuriumque et pertinentiarum eius [possessionem] admittere, ac nobiles fratres tuos[4] opportunis suasionibus velis adducere, ut circa hoc favores praebeant opportunos. Hoc si feceris, ut confidimus, cardinalem praefatum perpetuo tibi et nobili domui tuae amore devincies, apud nos vero uberem commendationem consequeris. Datum Romae etc., die XXVIII Iulii 1472, anno primo.

L[eonardus] Grifus

a) *in ms* ad
b) *in ms* Dreslaum
1) *Casimirus III († 1480), dux Masoviae, episcopus Plocensis ab a. 1471.*
2) *Iulianus della Rovere († 1513), cardinalis ab a. 1471, postea summus pontifex Iulius II.*
3) *Karnicki, cfr N. 34.*
4) *praelatos et canonicos ecclesiae Plocensis.*

## *N. 49.*

*Romae, 28.VII.1472.*

*Sixtus IV pontifex maximus*
*Conrado, Boleslao et Ianussio fratribus, Masoviae ducibus*

*Hortatur eos, ut velint* benigno auxilio complecti *Derslaum Karnicki, procuratorem ad obtinendam possessionem praepositurae Plocensi nominatum, quam praeposituram nepoti suo card. Iuliano della Rovere apostolica auctoritate contulit.*

*Reg. ASV, Arm. 39, vol. 14, f. 343r.*
*— Ed. Theiner VMPL II, p. 174-175.*

*N. 50.*

*Romae, 29.VII.1472.*

*Sixtus IV pontifex maximus*
*Casimiro IV Iagellonidi, regi Poloniae*

*Iisdem fere verbis ac in N. 49 eum hortatur, ut Derslaum Karnicki in exsecutione mandati circa praeposituram Plocensem, cardinali Iuliano della Rovere collatam,* opportuno favore prosequi *velit.*

*Reg. ASV, Arm. 39, vol. 14, f. 346v.*
*— Ed. Lewicki CE III, p. 165 (erronee legit datam* XXVIIII *tamquam* 28).

*N. 51.*

*Romae, 29.VII.1472.*

*Sixtus IV pontifex maximus*
*card. Marco Barbo, legato apostolico in Germania*

*Hortatur eum, ut causam card. Iuliani della Rovere circa praeposituram Plocensem suscipiat et procuratorem eius Derslaum Karnicki, qui eum* edocebit, quibus favoribus opus sit, *in sui mandati exsecutione opportune tueatur et defendat.*

*Reg. ASV, Arm. 39, vol. 14, f. 346v-347r.*
*— Ed. Lewicki CE III, p. 166 (error in datatione, ut in N. 50).*

*N. 52.*

*Romae, 29.VII.1472.*

*Sixtus IV pontifex maximus*
*Derslao Karnicki, denarii S. Petri in R.P. collectori*

*Committit ei, ut ex pecunia, ab ipso in Polonia collecta, tradat 60 sexagenas Iacobo de Lipowiec, familiari cardinalis Iuliani della Rovere, pro expensis ab ipso in causa sui cardinalis factis.*

*Reg. ASV, Arm. 39, vol. 14, f. 347r.*
*— Ed. Lewicki CE III, p. 165-166 (cum datatione erronea* 28.VII, *ut in N. 50).*

Dilecto filio Derslao, fructuum Camerae Apostolicae in regno Poloniae collectori.

Dilecte fili etc. Volumus et praesentium tenore tibi committimus ac mandamus, ut de pecuniis Camerae Apostolicae, per te hactenus collectis aut colligendis, dilecto filio Iacobo de Lipevvyecz[1], dilecti filii nostri Iuliani, tituli S. Petri ad Vincula presbyteri cardinalis, nostri secundum carnem nepotis[2], familiari et nuntio, des ac consignes sexaginta sexagenas in moneta communi istius patriae, pro dispendiis et expensis, quae et quas ipse Iacobus, deferendo litteras apostolicas super provisione Plocensis praepositurae, ipsi cardinali collatae, subiit, subiturusque est. Quod cum feceris et quietantiam acceperis, in tuis computis admitti mandamus. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Datum ut supra [29.VII.1472].

L[eonardus] Grifus

1) *Iacobus de Lipowiec, postea (1490) archidiaconus Sandecensis (cfr N. 138) et cleri Poloni in Curia Romana procurator.*

2) *Iuliani della Rovere.*

*N. 53.*

*Romae, 20.XI.1476.*

*Sixtus IV pontifex maximus*
*Ioanni Rzeszowski, episcopo Cracoviensi*

*Extendit licentiam non visitandi limina apostolorum ad aliud triennium.*

*Reg. ASR, Coll. Acquisti e Doni, fasc. 26/1, n. 28, f. 127r-v.*

Episcopo Cracoviensi[1].

Venerabilis frater, salutem etc. Nuper nobis Tuae Fraternitatis nomine fuit humiliter supplicatum, quod cum propter ingravescentem aetatem, et quia carissimi in Christo filii nostri Cazimiri, Poloniae regis illustris, consiliarius es, nequeas [127v] absque magno incommodo limina visitare, dignaremur paterna benignitate super iuramento de visitatione huiusmodi facienda a te praestito dispensare. Quocirca nos, praemissa paterno affectu considerantes, huiusmodi supplicationibus annuentes, ut per triennium, computandum et inhoandum immediate post finitum tempus alias tibi concessum, limina ipsa visitare non tenearis, utque illa non visitando nullum periurii crimen, nullasque censuras incurras, tenore praesentium indulgemus et dispensamus; iuramento praedicto, constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque in contrarium facientibus, non obstantibus quibuscumque. Datum Romae, die XX Novembris 1476, anno sexto.

L[eonardus] Grifus

1) *Ioannes Rzeszowski († 1488), episcopus Cracoviensis ab a. 1471.*

## *N. 54.*

*Romae, 1.XII.1476.*

*Sixtus IV pontifex maximus*
*Rudolfo de Rüdesheim, episcopo Vratislaviensi*

*Notum facit se altariam Beatorum Petri et Pauli in ecclesia S. Iacobi Nissae, per obitum Ioannis Stelvii, in Romana curia defuncti, vacantem, in Hermannum, eiusdem dioecesis Vratislaviensis clericum, contulisse.*

*Reg. ASR, Coll. Acquisti e Doni, fasc. 26/1, n. 28, f. 149v-150r.*

Episcopo Wratislaviensi[1].

Venerabilis frater, salutem etc. Cum nuper altare Beatorum Petri et Pauli Apostolorum in parrochiali ecclesia Sancti Iacobi Nissensis[a], Wratislaviensis dioecesis, per obitum quondam Iohannis Stelvi, illius ultimi possessoris, nuper infra duas dietas apud Ro[manam] Cu[riam] defuncti, vacasset, illud sic vacans dilecto filio Hermanno, clerico tuae dioecesis, apud nos de vitae et morum honestate fidedignorum testimonio commendato, apostolica auctoritate contulimus. Quocirca Fraternitatem Tuam hortamur in Domino et monemus attente, quatenus pro nostra et Sanctae Sedis Apostolicae reverentia Hermannum[b] ipsum, vel eius procuratorem pro eo, ad liberam, pacificam et expeditam huiusmodi altaris possessionem admitti facias, iuxta aliarum nostrarum litterarum super hoc confectarum seriem et tenorem. In quo boni praelati (qualis semper habitus fuisti) fungeris [150r] officio et nobis rem gratam facies. Datum Romae apud Sanctum Petrum, die primo Decembris 1476, anno sexto.

L[eonardus] Grifus

a) *in ms* Missen
b) *in ms* Johannem

1) *Rudolfus de Rüdesheim († 1482), episcopus Vratislaviensis ab a. 1468.*

## *N. 55.*

*Romae, 8.V.1477.*

*Sixtus IV pontifex maximus*
*magistratui Thorunensi*

*Commendat eis, ut Nicolao Jode, canonico Culmensi, et eius genitori praesto sint, quo ius suum a quibusdam debitoribus Thorunensibus consequantur.*

*Reg. ASR, Coll. Acquisti e Doni, fasc. 27/1, n. 31, f. 159v.*

Magistro civium et consilio oppidi Thorn.

Dilecti filii, salutem etc. Omnibus christifidelibus nostram opem poscentibus pro pastoralis officii ministerio, quantum cum Deo licet, favores impendimus, ecclesiasticis praesertim et ius suum prosequi cupientibus. Quocirca dilecti filii Nicolai Jade, canonici Culmensis[1], honestis in

hac parte supplicationibus inclinati, (aDevotiones Vestras[a]) hortamur in Domino, velitis, tamquam boni iustitiae cultores, Nicolao ipsi et eius genitori opportune adesse, ut ius suum a certis debitoribus, quos apud vos habere se asserunt, facile consequantur, ut merito possitis in Domino commendari. Datum Romae, die VIII Maii 1477, anno VI°.

L[eonardus] Grifus

a-a) *in ms* Devotionem Vestram

1) *Nicolaus Jode, ex notabili familia civium Thorunensium, qui tamen in catalogo canonicorum Culmensium non invenitur.*

## *N. 56.*

*Romae, 21.V.1477.*

*Sixtus IV pontifex maximus*
*Casimiro IV Iagellonidi, regi Poloniae*

*Hortatur eum, ut operam dare velit, quo merces valoris 30 millium ducatorum, de navi mercatorum Florentinorum inter Flandriam et insulam Angliae per eius subditum Polum de Gedano interceptae, proprietariis restituantur.*

*Reg. ASR, Coll. Acquisti e Doni, fasc. 27/1, n. 31, f. 189v.*

Regi Poloniae[a]).

Carissime etc. Nuper nobis cum quaerela expositum fuit, quod superioribus proximis annis Polus de Gdanczike, laicus Vladislaviensis[b]) dioecesis, subditus Tuae Serenitatis, qui navem quamdam ad bellum instructam nomine Lubicensium, Bremensium, Bambergensium[c]) et Stadensium[1]) ductabat, certam triremem[d]), mercibus ac bonis dilectorum filiorum Laurentii et Iuliani de Medicis[2]), aliorumque civium Florentinorum oneratam, inter Flandriam et insulam Angliae impetu magno invasit, multisque trucidatis et vulneratis, omnia huiusmodi bona, valoris XXX[ta] millia ducatorum, duxit in praedam, quam inter socios pyrratarum more divisit, contra iustitiam, aequitatem et pietatem.

Quocirca nos, qui ministerio pastoralis offitii unicuique ad iustitiam consequendam, quantum cum Deo possumus, debemus esse praesidio, honestis ipsorum mercatorum in hac parte supplicationibus inclinati, Celsitudinem Tuam hortamur in Domino et paterne requirimus, ut pro iustitia et aequitate, quam semper praecipue coluisti, operam efficacem dare velis, quod huiusmodi merces ac bona mercatoribus ipsis absque contradictione ac mora restituantur. Erit id sapientiae et bonitati tuae imprimis conveniens ac nobis plurimum gratum. Datum Romae, die XXI Maii 1477, anno VI°.

L[eonardus] Grifus

a) *simile imperatori.*

b) *in ms* Wlatislaviensis

c) *sic in ms, erronee scriptum videtur pro Hamburgensibus.*

d) *in ms* triremen

1) *Confoederatio Hanseatica.*

2) *Laurentius dictus Magnificus († 1492) et eius frater Iulianus († 1478) de Medicis, tunc «primi cives» Florentini.*

## N. 57.

*[Romae, 30.V.1477].*

*Sixtus IV pontifex maximus*
*Urieli de Górka, praeposito Gnesnensi*

*Nota in reg. ASR, Coll. Acquisti e Doni, fasc. 27/1, n. 31, f. 204v.*

Praepositus Gnesnensis dioecesis[1], obligatus certis mercatoribus, petit absolutionem cum reincidentia. Habet signaturam «Fiat ut petitur» ad sex menses. F. et per breve «Fiat», ut supra [die XXX Maii 1477, anno VI°]. F.

1) *Uriel de Górka († 1498), praepositus Gnesnensis ab a. 1454, collector generalis denarii S.Petri in R.P. ab a. 1475, episcopus Posnaniensis ab a. 1479.*

## N. 58.

*Romae, 2.X.1479.*

*Sixtus IV pontifex maximus*
*Casimiro IV Iagellonidi, regi Poloniae*

*Andream Palaeologum, iter suum per Poloniam facturum, commendat.*

*Reg. BGV, vol. 42-2-24, f. 46r-v (photocopia ASV, Arm. 39, vol. 16D).*

Regi Poloniae.

Carissime etc. Cum dilectus filius nobilis vir Andreas Palaeologus, despotes Romeorum, imperii Constantinopolitani haeres[1], iter suum istac facturus sit[2], nos, pro nostra in eum paterna caritate, cupientes omnia sibi expedita ac secura esse, Maiestatem Tuam hortamur in Domino, ut tum nostra [46v] contemplatione, tum intuitu generis et imperialis sanguinis eius, ipsum suscipias commendatum, tuaque regia benignitate prosequaris, ut in huiusmodi profectione et reditu eius nullo impedimento, nullave molestia afficiatur, sed, si opus fuerit, de secura scorta et libero salvoconductu ei facias provideri. Quod nobis erit gratissimum. Datum Romae etc., die II Octobris 1479, pontificatus nostri anno nono[a].

L[eonardus] Grifus

a) *sequitur nota:* Simile ducibus Mediolani, Sigismundo duci Austriae, Georgio, Alberto et Octoni ducibus Bavariae, Alberto et Ioanni marchionibus Brandenburgensibus, Ernesto et Alberto ducibus Saxoniae.

1) *Andreas Palaeologus († 1502), qui ab a. 1465 Romae degebat, nepos ex fratre ultimi imperatoris Byzantini Constantini XI.*

2) *cfr N. 59.*

## N. 59.

*[Romae, 2.X.1479].*

*Sixtus IV pontifex maximus*
*Ioanni III duci Moscoviae*

*Commendat Andream Palaeologum, ad eum eiusque uxorem Sophiam, sororem illius, proficisci cupientem.*

*Reg. BGV, vol. 42-2-24, f. 67v (photocopia ASV, Arm. 39, vol. 16D).*

Ioanni regi Rossiae.

Carissime etc. Cum dilectus filius nobilis vir Andreas Palaeologus, despotes Romeorum, affinis tuus, desideraret Maiestatem Tuam et germanam suam[1] visere, nos eius desiderio libenter annuimus, ipsumque Tuae Celsitudini plurimum commendamus, tametsi non multum necessarium putemus, cum ipse tibi affinitate iungatur. Datum ut supra [Romae, die 2 Octobris 1479].

L[eonardus] Grifus

1) *Zoe-Sophia, soror Andreae, uxor Ioannis III ab a. 1472.*

## N. 60.

*[Romae, 21.X.1479].*

*Sixtus IV pontifex maximus*
*Casimiro IV Iagellonidi, regi Poloniae*

*Notum facit se aliquas indulgentias in favorem Ordinis S. Ioannis Hierosolymitani pro defensione insulae Rhodi concessisse, et petit, ut illas in Polonia publicari permittat, thesaurarioque istius ordinis praesto sit in petenda pecunia illi ab ordinibus militaribus Poloniae debita.*

*Reg. BGV, vol. 42-2-24, f. 87v (photocopia in ASV, Arm. 39, vol. 16D).*

Regi Poloniae[a].

Carissime etc. Venientibus nuper ad nos oratoribus Hierosolymitanae Religionis[1], nobisque exponentibus, quanto in periculo religio ipsa constituta sit propter immanissimum Turcum, qui iam omnia orientalia loca suae tyrannidi subiecit, tributariaque fecit, et etiam contra civitatem et insulam Rhodi et alia loca ipsius religionis, propterea quod se viriliter defendendo illius imperium subire et tributa illi dare recusant omni conatu, et ita ingentem classem in eorum perniciem parare, et loca illa continuis vexationibus afficere non desinit, nos, qui per superiora tempora non destitimus favores et praesidia, quoad potuimus, praestare, in praesentiarum etiam, ultra alias opportunas provisiones, concessimus in eiusdem religionis favorem plenariam indulgentiam iis, qui pro defensione et tutela eorum locorum adiutrices manus porrexerint, prout in nostris desuper confectis litteris plenius continetur[2].

Quare Maiestatem Tuam hortamur in Domino, ut pro suo religioso et catholico animo causam christianae rei publicae, in cuius defensionem et conservationem haec tendunt, favore suo regio, sicut semper fecisti, prosequendo, indulgentiam huiusmodi in regno et dominiis tuis poni[b] publicarique permittas, prout te facturum confidimus, ut ex eo aliqua eidem religioni subventio possit pervenire. Hoc enim Deo placebit, commendabitur ab omnibus, et nobis consolationi erit. Praeterea, cum dilecti filii priores, praeceptores, bailivi et commendatores eiusdem tui regni debitores sint praefatae religionis ratione suarum praeceptoriarum, pari modo Celsitudinem Tuam hortamur, ut considerata tam urgenti necessitate, velis receptori thesauri dictae religionis opportune favere, ut illi, quod tenentur, integre et cum effectu persolvatur. Datum ut supra [Romae, die 21 Octobris 1479][c].

L[eonardus] Grifus

a) *in ms* Polloniae. *Inscriptio haec in forma* Simile regi Polloniae *invenitur in fine textus, dum ad caput in ms ponitur* Regi Christianissimo Francorum.

b) *sic in ms.*

c) *sequitur in ms:* Simile Imperatori, regi Hungariae, Portugalliae, Angliae, Scotiae, Datiae, Polloniae, duci Austriae et Burgundiae.

1) *Ordo Fratrum Hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, vulgo Ioannitae, qui annis 1308-1522 insulam Rhodi inhabitabant, postea vero Melitam.*

2) *summarium huius bullae (sine data) impressum est Romae una cum* Bulla extensionis indulgentiarum pro tuitione insulae Rhodi, *die 1.IX.1480 data.*

## *N. 61.*

*[Romae, 28.IX.1480].*

*Sixtus IV pontifex maximus*
*Iacobo de Sienno, archiepiscopo Gnesnensi*

*Committit ei, ut causam Dobrogostii de Krzyżanowo, subcollectoris denarii S. Petri in Masovia, a Casimiro, olim episcopo Plocensi, instigantibus Bartholomaeo de Widawa et Matthia de Bielsko, investigationi Pauli de Orłowo commissam, post recursum ipsius Dobrogostii ad Sedem Apostolicam et ad eum tamquam metropolitanum, ad iudicium suum avocet ac Dobrogostium ab excommunicatione absolvat.*

*Reg. ASV, Arm. 39, vol. 13, f. 89v-90v. In margine alia manu:* Commendatio causae.

*— Ed. Theiner VMPL II, p. 214.*

Archiepiscopo Gneznensi[1], vel vicario in spiritualibus generali, seu officiali eius.

[90r] Venerabilis frater, salutem etc. Relatum est nobis, quod alias bo[nae] me[moriae] Kazimirus episcopus Ploczensis[2], ad suggestionem quorundam Bartholomaei de Wydawa et Matthiae de Byselszko, laicorum Gneznensis et Ploczensis dioecesium, asserentium, quod dilectus filius

Dobrogastius Cznsawszensis[a], cantor Ploczensis et subcollector apostolicus in partibus illis deputatus[3], nonnullas iniurias occasione certarum rerum, tunc expressarum, eis intulerat, commisit dilecto filio Paulo de Orlono, canonico Plocznensi[4], causam huiusmodi audiendam et terminandam. Et licet dictus subcollector[b], ad iudicium sic evocatus, allegaret se ratione sui subcollectoriae officii exemptum esse a iurisdictione episcopi et eius delegati praedictorum, Sedique ac Camerae Apostolicae solummodo subiici, tamen delegatus ipse contra eum procedere non destitit et eum excommunicavit. Unde pro parte eiusdem subcollectoris ad nos, ac etiam ad venerabilem fratrem archiepiscopum Gneznensem, loci metropolitanum, legitime appellatum; et huiusmodi appellatio coram te, seu vicario tuo, introducta; ac ad nonnullos actus, citra tamen causae conclusionem, processum existit.

Cum autem rationabile et nostrae mentis sit, ut idem subcollector exemptione et privilegio debitis gaudeat, et nihilominus iustitiam omnibus ministrari intendamus, [vigore] praesentium causam huiusmodi, cuius statum et omnium, quae hic exprimi debuissent, tenores pro sufficienter expressis haberi volumus, ad nos avocantes, Fraternitati Tuae committimus et mandamus, ut dictum subcollectorem a dicta sententia excommunicationis ad cautelam absolvens, causam praedictam, vocatis eisdem Bartholomaeo et Matthia [90v] et aliis, qui fuerint evocandi, cum ea ulterius procedendo, auctoritate nostra audias et cognoscas, fineque debito termines et decidas summarie, simpliciter et de plano[c], sine strepitu et figura iudicii, sola facti veritate inspecta, partibus ipsis iustitiae complementum ministrando[5]. Non obstantibus praemissis et constitutionibus et ordinationibus apostolicis contrariis quibuscumque. Datum ut supra [Romae, die XXVIII Septembris 1480].

L[eonardus] Grifus

a) *sic in ms.*

b) *in ms* succollector, *et sic deinceps.*

c) *sequitur in ms* sola facti, *per oblivionem non expunctum.*

1) *Iacobus de Sienno († 4.X.1480), archiepiscopus Gnesnensis ab a. 1473.*

2) *Casimirus episcopus Plocensis (cfr N. 48) extremum diem obiit 9.VI.1480.*

3) *Dobrogostius de Krzyżanowo vel Krzyżanowski († 1494), cantor Plocensis ab a. 1458, postea administrator bonorum episcopatus Plocensis.*

4) *Paulus de Orłowo († 1482/84), canonicus Plocensis saltem ab a. 1460, administrator dioecesis Plocensis tempore interregni post mortem episcopi Casimiri a. 1480.*

5) *de ulteriore evolutione istius litis agitur in N. 129.*

## *N. 62.*

*[Romae, 14.X.1480].*

*Sixtus IV pontifex maximus*
*Ludmillae ducissae Legnicensi*

*Concedit ei licentiam, ut una cum sex a se eligendis mulieribus, omnibus feriis sextis missas et divina officia in ecclesia Passionis Christi Ordinis Carthusianorum Legniciae audire possit.*

*Reg. ASV, Arm. 39, vol. 13, f. 119r-v (in margine f. 119r summarium). — Ed. Theiner VMPL II, p. 215.*

Ludemillae ducissae Slesiae et dominae Legnitz[1].

Sixtus papa IV. Dilecta in Christo filia, salutem etc. Humiliter nobis supplicari curasti, quod cum tu pro devotione, quam ad domum Passionis Christi Ordinis [119v] Carthusiensis extra muros oppidi Legnitz, Vratislaviensis dioecesis, per duces olim Slesiae et Legnicenses etc dominos fundatam et erectam[2] geris, cupias singulis feriis sextis in eius ecclesia missam et divina officia audire, dignaremur tibi desuper licentiam concedere, attento maxime quod, sicut asseris, aliae pro tempore Slesiae ducissae simili licentia et indulto gavisae sunt.

Nos, piis et humilibus tuis in hac parte supplicationibus inclinati, ut tu, si ita sit, cum sex aliis pro tua comitiva per te eligendis mulieribus, singulis sextis feriis missas et alia divina officia in ecclesia praefatae domus Passionis Christi audire possis, et illae possint et valeant, tenore praesentium tibi et illis licentiam et facultatem elargimur. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac privilegiis et statutis domus et ordinis praedictorum, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum ut supra [Romae, die XIIII Octobris 1480].

L[eonardus] Grifus

1) *Ludmila († 1503), filia Georgii de Poděbrady, regis Bohemiae, a. 1474 desponsata Friderico I duci Legnicensi, gubernatori Silesiae et Lusatiae.*

2) *Monasterium Carthusianorum fundatum fuit a duce Ludovico Legniciae ante Portam Glogoviensem a. 1423.*

*N. 63.*

*[Romae, 18.X.1480].*

*Sixtus IV pontifex maximus*
*Casimiro IV regi et proceribus regni Poloniae*

*Mandat, ut Petrum A. Benedicti et Marsilium Alexandri de Fregeno, publicatores indulgentiarum in subsidium militum Ordinis S. Ioannis Hierosolymitani, in insula Rhodo a Turcis obsessorum, benigne admittant.*

*Reg. ASV, Arm. 39, vol. 13, f. 127v.*
*— Ed. Theiner VMPL II, p. 214-215.*

Patens.

Carissimo in Christo filio nostro Kazimiro, Poloniae regi illustri, ac venerabilibus fratribus archiepiscopis, episcopis et praelatis, eorumque vicariis, nec non dilectis filiis principibus et domicellis eiusdem Poloniae regni ac provinciarum Prussiae et Livoniae, salutem etc.

Pro subventione religionis[a] Rhodianae, quae hoc tempore obsidionem et plurima damna ab impiissimis Turchis passa est et magno subsidio indiget, concessimus nonnullas indulgentias in eiusdem religionis[a] favorem pro hoc pio et necessario opere[1]. Ad quas quidem indulgentias in partibus istis publicandas dilecti filii Petrus Antonius Benedicti et Marsilius Alexandri de Fregeno, latores praesentium accedunt. Quapropter vos, et quemli-

bet vestrum in Domino exhortamur ac requirimus, ut pro Dei honore et christianae religionis[a] causa, ac pro catholica professione vestra, velitis eisdem publicatoribus indulgentiarum omnibus opportunis favoribus assistere, ut benigne in loca vestra recipiantur, ac publice publicationem huiusmodi facere, et pia subsidia exigere, ex vestra quoque permissione et gratia, facilius valeant. Consequemini apud omnipotentem Deum meritum et apud homines laudem, a nobis vero et hac Sede commendationem. Datum ut supra [Romae, die 18 Octobris 1480].

L[eonardus] Grifus

a) *in ms* Relligionis
1) *cfr N. 61.*

*N. 64.*

*[Romae, 31.VIII.1481].*

*Sixtus IV pontifex maximus*
*Mariano de Jeziorko, vicario generalis Ordinis Fratrum Minorum de Observantia in Polonia*

*Ei et omnibus ab eo deputatis fratribus Ordinis Minorum provinciae Polonae, inter schismaticos et infideles laborantibus, facultatem concedit omnes, ad Ecclesiam Catholicam redire cupientes, ad unitatem fidei recipiendi iuxta formulam ab Eugenio IV in Concilio Florentino praescriptam, eosque omnes a censuris et irregularitatibus ecclesiasticis absolvendi; similiter concedit ipsis omnia privilegia, olim Ordini Fratrum Minorum in Terra Sancta et in Bosnia concessa.*

*Reg. BNF, II-III, vol. 256, f. 7v-8r. In margine sinistro manu posteriore:* Datur facultas fratribus infideles recipiendi ad unitatem fidei, absolvendi.
— *Ed. Pou y Marti BF III, p. 743.*

Vicario generalis Ordinis Minorum de Observantia provinciae Poloniae[1].

Dilecte fili, salutem etc. Cupientes pro pastorali officio nostro barbaras omnes nationes et a christiana religione aberrantes, relicto pravitatis et infidelitatis errore, quem insectantur, ad fidei catholicae unionem Ecclesiaeque unitatem converti, ac considerantes, quod tu et alii a te deputati tui ordinis fratres, melius id facere et sanctum hoc opus exequi poteritis, quo maiori ad id fueritis facultate fulciti, tenore praesentium tibi et quibuscumque aliis personis idoneis a te deputatis, caeterisque tui ordinis et observantiae, qui sponte inter infideles ire voluerint, necnon confessoribus inter schismaticos et alios infideles constitutis, utpote in Lithuania, Samogethia[a], Russia, Valachia, Scythia et Tartaria, et in omnibus terris schismaticorum, paganorum et quorumcumque [8r] infidelium permanentibus, facultatem damus recipiendi ad unitatem fidei sanctaeque Ecclesiae gremium Graecos, Ruthenos, Valachos, Armenos et omnes schismaticos, haereticos, apostatas, aliosque infideles, et eosdem, si et postquam ad fidei unitatem iuxta formam litterarum per Eugenium IV, praedecessorem

nostrum, in Concilio Florentino editarum[2]), conversi erunt, absolvendi ab omni vinculo excommunicationis, tam maioris quam minoris, ac suspensionis, interdicti, aliisque censuris et poenis ecclesiasticis, necnon a simonia et quocumque perpetrato homicidio, ab omnibusque criminibus, excessibus et delictis, etiamsi talia essent, propter quae Sedes Apostolica veniret merito consulenda; praeterea cum presbyteris, clericisque omnibus, id humiliter petentibus, dispensandi super omni irregularitate, exceptis voluntario homicidio, bigamia et mutilatione membrorum; praeterea etiam reponendi et restituendi eos ad beneficia, officia, honores et dignitates.

Decernentes et taliter declarantes, quod tam tu, quam alii fratres provinciae Poloniae in terris et dominiis praefatis existentes, in locis tui ordinis omnibus et singulis privilegiis, gratiis et indultis, per nos ac praedecessores nostros Romanos pontifices et alios quomodolibet locis et fratribus Ordinis Minorum in Terra Sancta et provincia Bosniae concessis, frui, uti et gaudere possitis et valeatis, ac si vobis specialiter et expresse concessa essent, illorum tenores et continentias, ac si de verbo ad verbum praesentibus inserta essent, pro sufficienter expressis habendo. Constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, [die XXXI Augusti 1481].

L[eonardus] Grifus

a) *in ms* Gamogethia

1) *Marianus de Jeziorko († 1491), vicarius generalis Ordinis Fratrum Minorum de Observantia in Polonia annis 1467-1469, 1479-1482 et 1484-1487.*

2) *Decretum Laetentur Coeli die 6.VII.1439 in concilio publicatum.*

## *N. 65.*

*Romae, 7.IX.1481.*

*Sixtus IV pontifex maximus*
*Rudolfo de Rüdesheim, episcopo Vratislaviensi*

*Mandat, ut pecuniam olim a Balthasare a Piscia ipsi relictam, et caeteram a se collectam, quamprimum Romam transmittat, necnon semel saltem in anno rationem suae collectoriae reddat.*

*Reg. BNF, II-III, vol. 256, f. 16v-17r.*

Episcopo Wratislaviensi, collectori nostro.

Venerabilis frater, salutem etc. Intelleximus esse in manibus [tuis] nonnullas pecunias, quas bo[nae] me[moriae] Balthasar de Piscia, episcopus Syrimiensis, apostolicus dum vixit collector[1]), in partibus istis collegerat. Quare mandamus tibi, ut quam celerius fieri potest, tam praedictas, quam omnes alias pecunias, ratione istius collectoriae habitas, ad nos vel Cameram nostram Apostolicam fideliter per [17r] aliquam bonam et tutam viam omnino mittas. Plura enim onera, his praesertim temporibus, sicut

ignorare non debes, eidem Camerae pro causa etiam catholicae fidei incumbunt. Itaque diligentia et celeritate utere.

Praeterea adhibebis omnem curam et solertiam circa officium collectoriae huiusmodi tibi commissae, ut fructus et iura Camerae praedictae exigantur et recuperentur. Volentes et ita tibi praecipientes, ut pecunias, quae inde colligentur, successive huc mittas, faciasque, ut ad minus semel in anno Camera praefata per litteras seu nuntios tuos, etiam mittendo huc computa, intelligat singillatim omnia negotia dictae collectoriae, qualiter et quomodo procedunt. Ita, ut sicut de probitate et integritate tua confidimus, merito valeas commendari. Quicquid autem per te missum et solutum fuerit, in tuis computis admittetur. Datum Romae, die VII Septembris 1481, anno XI$^{mo}$.

L[eonardus] Grifus

1) *Balthasar a Piscia († 1481), annis 1477-1478 denarii S. Petri in Polonia et Bohemia collector, episcopus Sirmiensis in Croatia ab a. 1479.*

*N. 66.*

*Braciani, 18.IX.1481.*

*Sixtus IV pontifex maximus*
*Casimiro IV Iagellonidi, regi Poloniae*

*Hydruntum recuperatum et 21 naves bellicas in Lusitania instructas esse nuntiat, quas classi pontificiae pro expugnanda Vallona se adiuncturum significat; adhortatur eum, ut, unitis armis cum aliis principibus christianis, adversus Turcas procedat.*

*Reg. BNF, II-III, vol. 256, f. 52v-53r.*

([a]Regi Poloniae[a]).

Dilecte fili, salutem etc. ([b]Quod toto nostro desiderio expectabamus et iucundissimum nobis fuit, hodie intelleximus a[b]) [53r] nostris Hydruntum et Italiam diro barbarorum bello, quod omnes hactenus anxios tenuit, Dei beneficio tandem liberatam[1]). Quod quam felix et salutare sit omnibus christianis, potest unusquisque facile iudicare. Ad haec cum apud Vallonam et in Epyro omnia nostris prospere succedere nuntietur[2]), ita ut feliciora esse non possint, quis dubitet Deum nobis ex alto lumen ostendere, quo tandem christianam religionem in pristinam dignitatem restituamus, amissa recuperemus, bello hostes ita prosequamur, ut perpetuo hac cura, hac molestia liberi esse possimus.

Quare, si unquam ad hoc sanctissimum opus bene constitutus fuisti, nunc omni conatu insurge, nam ad reliquos idem scribimus[3]). Ecce tempus salutis, tempus gloriae, tempus victoriae. Quod si negligetur, nullum tale unquam recuperare poterimus. Parvo negotio bellum nunc confici potest, quod non sine maximo dispendio, maximis calamitatibus nostris (quod Deus avertat) postea conficietur, si cunctabundi expectare voluerimus, donec efferus hostis se colligat, vires recuperet et adversus nos uniatur; quod ex fidedignis relatoribus fieri intelligimus.

Nos et libenter hactenus fecimus supra quam vires nostrae ferre potuerunt. Nam et nunc XX[ti] caravellas et navem unam onerariam, ex decimis nostris in Portugallia instructas, ad reliquam classem nostram misimus. Facturi etiam sumus quae poterimus. Sed soli non possumus. Non dubitamus, si tua et aliorum praesidia in communem salutem una nobiscum conferantur, quin perpetuae saluti et tranquillitati christianae religionis, cum immortali omnium gloria, Deo auctore consulatur. Datum Braciani, die XVIII Septembris 1481, anno XI[mo].

L[eonardus] Grifus

a-a) *inscriptio haec invenitur in fine textus, dum ad illius caput ponitur in ms* Duci Sabaudiae

b-b) *adscriptum alia manu loco expuncti:* ut animo Tuae Nobilitatis satisfaceremus

1) *Hydruntum (Otranto), captum a Turcis 11.VIII.1480, recuperatum est 10.IX.1481.*

2) *statim post victoriam Hydruntinam classis pontificia profecta est ad recuperandam Valonam (Vlörë) in Epiro (Albania).*

3) *nomina regum et principum, quibus brevia eodem exemplo scripta erant, inveniuntur ad calcem huius textus.*

## *N. 67.*

*Romae, [27.X.1481].*

*Sixtus IV pontifex maximus*
*Ioanni Rzeszowski, episcopo Cracoviensi, eiusque capitulo*

*Nuntiat se mittere ad eos Petrum Ioannem de Camerino, ut pecuniam, a nonnullis ex Ordine S. Ioannis Hierosolymitani retentam, Romam reportet, eosque hortatur, ut adiuvent instructionem classis, quam ipse pro expugnandis Turcis parat, et Gabrielem Rangone, praedicatorem expeditionis adversus illos, commendat.*

*Reg. BNF, II-III, vol. 256, f. 77r-v.*

Episcopo et capitulo Cracoviensi.

Venerabilis frater et dilecti filii, salutem etc. Nuper non sine praecipuo animi dolore accepimus, quod nonnulli Ordinem Hierosolymitanum profitentes, Dei timore postposito, abutentes indulgentiis et gratiis religioni ipsi per nos concessis, iuxta tenorem nostrarum litterarum[1)], exquisitis modis quaerunt pecunias, pro tam urgente fidei necessitate condonatas, in proprios et nefandos[a)] usus convertere, et de illis disponere pro eorum arbitratu.

Cum fideli[b)] relatione accepimus pecunias illas sic erogatas in locis, tam spiritualiter, quam temporaliter, etiam ratione ecclesiae vestrae, [vobis] subiectis, conservari, idcirco mittimus dilectum filium Petrum Ioannem de Camerino, de cuius prudentia et integritate confidimus, cum plena facultate ad investigandum, inquirendum ac recuperandum dictas pecunias, ascito et adhibito una secum aliquo fratre Ordinis Minorum regularis

observantiae, si ex locis propinquis intra unam dietam haberi poterit. Hortamur itaque Devotiones Vestras[c] in Domino, ac vobis omnibus in virtute sanctae oboedientiae, ac tibi, episcope, sub suspensione a divinis, vobis vero de capitulo excommunicationis poena, stricte praecipimus ac mandamus, ut ordinem cum effectu adhibeatis, opportuna consilia et auxilia subministrantes, etiam per censuras ecclesiasticas et districtionem corporalem quoscumque compellendo, prout expediens fuerit et requisiti fueritis a dicto Petro Ioanne, ut idem pecunias sublatas praefatas, dilationibus et exceptionibus quibuscumque [posthabitis], de locis vestris recuperet et ad Urbem transmittere valeat, conservandas in capsa ecclesiae Beatae Mariae Arae Coeli de Urbe et fideliter in hanc sanctam expeditionem exponendas.

Scire etiam vos volumus, quod nos classem pro hoc futuro anno instaurari facimus. Ad quam conficiendam opus est maxima pecuniarum vi. Traiciet[ur] ipsa classis, cum Dei gratia, per maria et loca Turchorum pro recuperatione locorum et captivorum, qui per Turchos detinentur, ut missa illa servitute, liberari possint, et christianus populus a continuis incursionibus defendatur; sperantes et confidentes in hoc catholicorum principum, praecipue praelatorum et ecclesiasticarum personarum, et aliorum christifidelium favores [77v] et subsidia opportuna non deerunt, praecipue Fraternitatis Tuae et capituli, a quibus semper Dei honor et fidei catholicae defensus existit [...].

Et cum ([d]ad partes ultramontanas[d]) dilectum filium Egierium[2]), cum potestate praedicandi cruciatam et caetera, quae expedire videbuntur, misimus pro tam pio et necessario opere, pro evitandis periculis christianorum cervicibus imminentibus, hortamur pariter et Devotiones Vestras, ut ei assistatis et faveatis, uti debetis, et pro fide, devotione ac oboedientia vestra plane confidimus et speramus vos esse facturos. Datum Romae etc [die XXVII Octobris 1481, anno XI°][e]).

L[eonardus] Grifus

a) *in ms* nephandos

b) *in ms* fidei

c) *in ms* Devotionem Vestram

d-d) *in ms* in partibus ultramontanis

e) *in ms sequitur:* Simile fiat pro archiepiscopo Salzpurgensi, mutato sive posito Bartholomaeo loco Petri Ioannis.

1) *cfr N. 60.*

2) *card. Gabriel Rangone (cfr N. 33), episcopus Agriensis (Eger) in Hungaria?*

## *N. 68.*

*Romae, 16.XI.1481.*

*Sixtus IV pontifex maximus*
*Iacobo de Dębno, capitaneo Cracoviensi*

*Petit, ut apud regem Casimirum operam interponat, quo pecunia, ex indulgentiis Rhodianis collecta et a rege intercepta, Mariano de Jeziorko restituatur.*

*Reg. BNF, II-III, vol. 256, f. 92v.*

Iacobo de Damno alias Dowenizki, capitaneo Cracoviensi.

Dilecte fili, salutem etc. Intelleximus pecunias in Cracovia et aliis locis istius regni ex indulgentiis Rhodianis collectas de mandato regio ex capsis, in quibus illae asservabantur, amotas et acceptas fuisse[1], quod nobis molestissimum fuit; est enim pessimi exempli et in Dei offensam tendit, in cuius nominis honorem pecuniae illae exponendae erant. Et licet super hoc ad Regiam Maiestatem scribamus, confidamusque eam pro sua religione[a] et pia mente huic rei opportune provisuram, tamen fidedigna relatione edocti de tua erga nos et hanc Sanctam Sedem devotione et observantia, ac quantum apud ipsum regem gratia et auctoritate tuis meritis valeas, hortamur etiam Nobilitatem Tuam et affectuose requirimus, quatenus apud Eius Maiestatem operam tuam interponere velis et instare, ut tales pecuniae in sanctum expeditionis opus contra hostes fidei Turchos decretae, restituantur dilectis filiis vicario Ordinis Minorum de Observantia istius provinciae[2] ac Bartholomaeo seu Petro Ioanni de Camerino, familiaribus nostris. In quo Nobilitas Tua rem sua probitate dignam et Deo acceptam ac nobis gratissimam faciet. Datum Romae, die XVI Novembris 1481, anno XI°.

L[eonardus] Grifus

a) *in ms* relligione

1) *cfr. N. 67.*

2) *Marianus de Jeziorko, cfr N. 64.*

*N. 69.*

*Romae, 17.XI.1481.*

*Sixtus IV pontifex maximus*
*universis fratribus Ordinis Minorum in Polonia, Bohemia et dioecesi Salisburgensi, expeditionis adversus Turcas commissariis*

*Bartholomaeum de Camerino, quem adiutorem ipsorum mittit, commendat.*

*Reg. BNF, II-III, vol. 256, f. 93v-94r.*
*— Ed. Pou y Marti BF III, p. 760.*

Universis et singulis vicariis, guardianis, caeterisque fratribus Ordinis Minorum in regnis Poloniae et Bohemiae, eorumque dominiis, ac in civitate et dioecesi Saltzburgensi cruciatae commissariis, salutem etc.

Ut negotium sanctae cruciatae facilius executioni demandari possit, deputavimus vobis in hoc coadiutorem dilectum filium Bartholomaeum de Camerino, praesentium latorem, qui in exequendis [94r] et transmittendis pecuniis et aliis ordinandis, quae ad ipsam cruciatam pertinere et expedire videbuntur, vobis auxilio erit. Quare vos hortamur, mandantes, quatenus eundem Bartholomaeum in coadiutorem ad praemissa exequenda recipiatis et admittatis, quem confidimus utilem vobis et oboedientem futurum. Datum Romae, sub annulo Piscatoris, die XVII Novembris 1481, anno XI°.

L[eonardus] Grifus

## *N. 70.*

*Romae, 29.III.1482.*

*Sixtus IV pontifex maximus*
*Casimiro IV Iagellonidi, regi Poloniae*

*De incursione Moscovitarum in Livoniam dolet, et, a Turcarum periculo liberatus, eidem provinciae, Sanctae Sedi subiectae, succurrere cupiens, Stephanum Grube, archiepiscopum Rigensem, legatum mittit et commendat.*

*Reg. BNF, II-III, vol. 256, f. 196r-v.*

([a]Kazimiro regi Poloniae[a]).

Dilecte fili, salutem etc. Cum magna animi nostri amaritudine intelleximus anno superiore perfidos christianae veritatis hostes, immanes Ruthenos, Livoniae provinciam hostiliter invasisse, et cum inexpectati irruissent, affecisse provinciales illos summa calamitate, utpote qui barbarico ritu debachati a nullo crudelitatis foeditatisque genere abstinuerint. Penetravit cor nostrum tam immane facinus, et eo magis, quo aliis angustiis et pressuris vexati ac tam longo intervallo impediti, miseris atque indigna patientibus per id tempus succurrere non poteramus. Eadem namque tempestate, ut nosti, Turcharum immensae vires adeo excreverant nostrosque opprimebant, ut in oriente Rhodum, quod unicum fidei nostrae propugnaculum superest, obsidere et in Italiam penetrare, Idruntemque, urbem in Supero Mari non contemnendam, expugnare cum magno totius christianitatis periculo sint ausae[1]. Commoti igitur [196v] propiori periculo, et ad tutelam reipublicae christianae totis viribus tunc intenti, Livoniorum cladem non tam negleximus, quam necessario dolorem, quem ex ea acceperamus, in corde nostro ad tempus suppressimus.

Nunc, sedata aliquantulum Turcorum procella, mittimus ad partes Livoniae venerabilem fratrem Stephanum, archiepiscopum Rigensem[2], nuntium et oratorem nostrum cum potestate legati de latere, qui ipsam provinciam Livoniam, quae iuris Beati Petri esse dignoscitur, nostro et Apostolicae Sedis nomine circumeat, provinciales afflictos consoletur, eisque condoleat, hortetur ad tollerandas aequo animo praeteritas tribulationes et in futurum ad fortiter resistendum, convocet eos ad unum quempiam locum, ubi communi consilio de modo et via resistendi perfidis hominibus agatur.

Commisimus etiam eidem archiepiscopo, ut ex itinere ad Tuam Nobilitatem diverteret, tecumque haec omnia communicaret, et tuum circa hoc consilium nostro nomine requireret. Quod pro tua prudentia et in Sanctam Sedem devotione fidele et utile fore non dubitamus. Hortamur igitur in Domino Nobilitatem Tuam, ut archiepiscopum ipsum pro nostro et huius Sanctae Sedis honore benigne suscipias, eique consilio, ope et favore, ut haec nostra mandata exequi possit, adesse velis. Quod utique nobis gratissimum erit. Datum Romae, die XXVIIII Martii 1482, anno XI°.

L[eonardus] Grifus

a-a) *inscriptio haec invenitur ad calcem textus, dum ad illius caput ponitur in ms:* Ernesto duci Saxoniae. *Similia brevia scripta fuerunt etiam* Alberto marchioni Brandenburgensi electori Imperii, magno duci Magnipolensi, Stenoni Stur gubernatori regni Suetiae *(ibidem).*

1) *cfr NN. 60, 66.*

2) *Stephanus Grube († 1483), archiepiscopus Rigensis ab a. 1480.*

*N. 71.*

*Romae, 29.III.1482.*

*Sixtus IV pontifex maximus*
*consulibus et communitati Gedanensi*

*Iisdem fere verbis ac in N. 70 nuntiat Moscovitas* more latronum *in Livoniam incursionem fecisse, et Stephanum Grube legatum commendat. Similiter ad Lubecenses.*

*Reg. BNF, II-III, vol. 256, f. 197r-v. In margine summarium textus manu posteriore.*

*N. 72.*

*Romae, 17.V.1482.*

*Sixtus IV pontifex maximus*
*Bartholomaeo et Petro Ioanni de Camerino, necnon religiosis commissariis expeditionis adversus Turcas*

*Notum facit se indulgentias pro expeditione contra Turcas concessas revocasse, praecipitque eis, ut ab illarum praedicatione desistant et pecuniam ex illis collectam quam primum Romam mittant.*

*Reg. BNF, II-III, vol. 256, f. 251v-252r.*

Bartholomaeo et Petro Ioanni de Camerino, ac religiosis commissariis super cruciata.

Dilecti filii, salutem etc. Revocavimus nuper cruciatae indulgentias [252r] et illas durare solum voluimus [...][a] et ad animarum salutem proficere, quousque ad vos de[b] revocatione illarum per nos facta notitia pervenerit. Quare volumus, ut praesentibus acceptis a praedicando indulgentias ipsas de caetero desistatis, pecuniasque omnes ex eis collectas exigatis et recuperetis et, quanto celerius et solertius fieri poterit, ad ecclesiam Arae Coeli de Urbe omni cum industria, et prout melius expedire cognoveritis[c], mittere vel deferre curetis. In quo ita vos geratis, ut de promptitudine et solertia vestra merito commendari apud nos possitis. Datum Romae ut supra [die XVII Maii 1482, anno XI°].

L[eonardus] Grifus

a) *hic in registro a scriba omissa est aliqua pars textus originalis.*
b) *sequitur expunctum:* praesentibus acceptis
c) *in ms* cognoveris

*N. 73.*

*Romae, 28.V.1482.*

*Sixtus IV pontifex maximus*
*Ioanni Roth, episcopo Vratislaviensi*

*Iubet, ut solvat pecuniam Curiae Romanae debitam.*

*Summarium brevis: BNF, II-III, vol. 256, f. 261r-v.*

Iohanni episcopo Wratislaviensi[1] de summa quinque millium trecentorum ducatorum Hungarorum, [*quos* pro expeditione Wratislaviensi in Hungaria *a mercatoribus Florentinis de Salviatis praedecessor eius Rudulfus de Rüdesheim praestitit*[2]*; quam summam debitam Benedictus de Salviatis*, mercator sequens Curiam, *cessit postea collegio cardinalium. Iubet ergo ut dictum debitum Paulo Zane, administratori Brixiensi, quam primum tradat, qui id integrum Ioanni Frescobaldi*, mercatori Florentino Venetiis commoranti, *transmittere debebit*[3]], cum additione: nisi forsan eisdem mercatoribus de Salviatis et eorum procuratori solvisses[4].

1) *Ioannes Roth († 1506), episcopus Vratislaviensis a 16.II.1482.*

2) *ex subsequentibus litteris pontificis ad Maffaeum Gherardi, patriarcham Venetiarum, de die 28.V.1482 (ibid. f. 261v).*

3) *ex antecedenti breve ad Paulum Zane, de die 28.V.1482. (f. 261r).*

4) *cfr NN. 107, 108.*

## *N. 74.*

*Romae, 13.VI.1482.*

*Sixtus IV pontifex maximus*
*Sbigneo Oleśnicki, archiepiscopo Gnesnensi*

*Iubet, ut procedat adversus aliquos laicos, qui bullas indulgentiarum in Polonia vitiaverunt, et ut ipsas bullas ad Cameram Apostolicam remittat, pecuniamque ex indulgentiis collectam Petro Ioanni de Camerino, fratribus ex Ordine Minorum, vel Urieli a Górka tradat.*

*Reg. BNF, II-III, vol. 256, f. 279v-280r.*

Archiepiscopo Gnesnensi[a)1)].

Venerabilis frater, salutem etc. Alias Petrus Ioannes de Camerino et nonnulli [280r] alii socii destinati sunt a nobis ad diversas partes ad colligendas pecunias nondum exactas ex Rhodianis indulgentiis et ad publicandas indulgentias cruciatae[2]; ita tamen, ut religiosi Ordinis Minorum de Observantia, qui haberi possent, ubicumque ipsi essent [eas publicent], interdicta laicis tali publicatione, quos ipsis religiosis parere circa hoc voluimus. Et quoniam, ut accepimus, laici ipsi reddiderunt se in aliqua parte suspectos, tum propter bullas in plerisque locis abrasas et clausulas non consuetas et insolitas, [quas fecerunt] in huiusmodi bullis apponi, tum propter novos habitus ab eis susceptos, moleste id tulimus, (bFraternitatique Tuae[b]) commendamus, quod prohibueris eos huiusmodi facultatibus uti, mandantes tibi, ut bullas illas capias et ad Cameram Apostolicam mittere cures, omnibusque intimes et intimari cures, ut talibus indulgentiis, si de caetero publicarentur, minime credant, quoniam quidem eas revocavimus[3]. Et ne fidelium mentes se deceptas putent, declares nomine nostro, christifideles omnes, qui aliquid contribuerunt et pias oblationes fecerunt, easdem indulgentias fuisse consecutos, perinde ac si illae a nobis revocatae non fuissent et in pristino valore mansissent.

Praeterea volumus, ut pecunias omnes, tam ex indulgentiis, quam ex cruciata, seu alias quomodolibet collectas et ad praefatam Cameram pertinentes, ubicumque per regnum istud reperiantur, assignari facias et ordines Petro Iohanni de Camerino et religiosis praefatis Or[dinis] Mi[norum],

qui secum erunt, iuxta ordinem ei datum. Et si eum abesse contingat, dari et tradi cures venerabili fratri episcopo Poznaniensi, collectori nostro[4], qui illas ad nos, prout celerius et melius poterit, mittere habeat. Datum Romae, die XIII Iunii 1482, anno XI°.

L[eonardus] Grifus

a) *in ms* Geneznensi. *Totum hoc breve est pessime registratum, abundat mendis et omissionibus.*

b-b) *in ms* Fraternitatemque Tuam

1) *Sbigneus Oleśnicki († 1492), archiepiscopus Gnesnensis ab a. 1481, antea episcopus Vladislaviensis.*

2) *cfr NN. 67, 69.*

3) *cfr N. 72.*

4) *Uriel a Górka.*

## *N. 75.*

*[Romae, 13.VI.1482].*

*Sixtus IV pontifex maximus*
*Ioanni Rzeszowski, episcopo Cracoviensi, eiusque capitulo.*

*Iubet 2736 ducatos ex indulgentiis collectos, apud ipsos conservatos, quam primum Romam transmitti, et asserit indulgentias post earum revocationem obtentas validas esse.*

*Reg. BNF, II-III, vol. 256, f. 208r-v.*

Episcopo et canonicis et capitulo Cracoviensi[a].

Venerabilis frater et dilecti filii, salutem etc. Volumus et praesentium tenore vobis committimus et mandamus, ut pecunias ex Rhodianis [280v] indulgentiis et ex cruciata collectas, penes vos exsistentes, quae ad summam duorum millium septingentorum triginta sex ducatorum ascendere dicuntur, si Petro Iohanni de Camerino, commissario nostro, illae consignatae non fuerint, ad Cameram nostram Apostolicam mittere quantocius et cum minori quam fieri poterit impensa curetis; declarantes, quod christifideles omnes, qui aliquid contribuerunt, indulgentias huiusmodi consequantur perinde ac si revocatae a nobis non fuissent, et in suo quoad tales personas robore permanerent. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Datum ut supra [Romae, XIII Iunii 1482].

L[eonardus] Grifus

a) *in ms* Craconensi

## *N. 76.*

*[Romae, 13.VI.1482].*

*Sixtus IV pontifex maximus*
*Urieli de Górka, episcopo Posnaniensi*

*Notum ei facit mandatum, a se archiepiscopo Gnesnensi datum, circa pecuniam ex indulgentiis collectam, iubetque, ut etiam pecunia apud eum exsistens quam primum Romam transmittatur.*

*Reg. BNF, II-III, vol. 256, f. 280v.*

Episcopo Poznaniensi[1].

Venerabilis frater, salutem etc. Mandavimus per aliud breve nostrum venerabili fratri archiepiscopo Gneznensi, ut pecunias omnes ex indulgentiis Rhodianis et cruciata collectas, ubicumque exsistentes, Petro Ioanni de Camerino, et in eius absentia tibi consignari faciat[2], rati neminem melius te executurum hoc et pecunias missurum. Quare volumus ac Tuae Fraternitati mandamus, ut tam has, quas a praefato archiepiscopo accipies, quam alias omnes pecunias ex praefatis indulgentiis, vel ex annatis, censibus, aut alias collectas et ad Cameram nostram Apostolicam pertinentes, quae penes te exsisterent, per tutam viam et minori quam fieri poterit impensa, ad ipsam Cameram celeriter mittas et nihil in hoc diligentiae praetermittas. Datum ut supra [Romae, die XII Iunii 1482].

L[eonardus] Grifus

1) *Uriel de Górka, cfr. N. 56.*
2) *cfr N. 74.*

## *N. 77.*

*Romae, 19.VI.1482.*

*Sixtus IV pontifex maximus*
*Urieli de Górka, episcopo Posnaniensi*

*Initium brevis, quo dicit se nuper ei scripsisse,* quid agi vellemus super pecuniis Rhodianis et aliis ad Cameram pertinentibus *(cfr N. 76).*

*Reg. BNF, II-III, vol. 256, f. 288v. (finis paginae et totius fasciculi; in folio sequenti continuatur aliud breve; evidenter totus fasciculus registri per omissionem non fuit volumini adligatus et periit; summarium istius brevis invenitur forsitan in initio N. 102).*

## *N. 78.*

*Romae, 26.VI.1482.*

*Sixtus IV pontifex maximus*
*Casimiro IV Iagellonidi, regi Poloniae*

*Civicum de Ursinis, investigatorem circa pecuniam ex indulgentiis Rhodianis in Polonia retentam, mittit, eumque commendat.*

*Reg. BNF, II-III, vol. 256, f. 296v.*

Regi Poloniae.

Carissime in Christo fili noster, salutem etc. Intelleximus in regno isto Tuae Maiestatis collectas esse nonnullas pecuniarum summas ex indulgentiis Rhodianis, quae remanserunt inexactae et nulla de illis ratio reddita est. Ad quas investigandas et colligendas dilectus filius Civicus de Ursinis[1], prior Almae Urbis nostrae ac procurator religionis Hierosolymitanae, de commissione nostra veniet. Quare hortamur Maiestatem Tuam, ut eidem priori, sive eius nuntiis in exigendis et levandis huiusmodi pecuniis omni

opportuno favore et auxiliis adesse velis. Quod erit Deo acceptum et nobis gratum. Datum Romae, die XXVI Iunii 1482, anno XI°.

L[eonardus] Grifus

1) *Civicus (Cencio) Orsini († 1504), prior Ordinis S. Ioannis Hierosolymitani Romae et Capuae ab a. 1457, magni istius ordinis magistri in Italia vicarius.*

*N. 79.*

*Romae, 26.VI.1482.*

*Sixtus IV pontifex maximus*
*Ioanni Rzeszowski, episcopo Cracoviensi*

*Iisdem verbis ac in N. 78 nuntiat* archiepiscopo Cracoviensi (!) *missionem Civici de Ursinis in Poloniam.*

*Reg. BNF, II-III, vol. 256, f. 296v.*

*N. 80.*

*[Romae, 26.VIII.1482].*

*Sixtus IV pontifex maximus*
*sorori et fratri Marini de Fregeno, olim episcopi Caminensis*

*Mandat, ut restituant cedulas et libros pecuniarum per eorum fratrem, Marinum de Fregeno, relictos.*

*Reg. ASV, Arm. 39, vol. 15, f. 3v.*

Sorori bo[nae] me[moriae] episcopi Caminensis[1] et Accantio eius fratri.

Dilecti filii, salutem etc. Volumus ac vobis sub excommunicationis et rebellionis poena mandamus, quatenus praesentium latori, nuntio dilecti filii gubernatoris Spoletani[2], qui dedita opera mittitur, statim consignetis et tradatis cedulas et scripturas pecuniarum, quas a vobis petet, omni penitus contradictione et cunctatione remota. Contrariis *etc.* Datum ut supra [Romae, die 26.VIII.1482].

L[eonardus] Grifus

1) *Marinus de Fregeno, olim expeditionis adversus Turcas in Lituania praedicator (cfr N. 9), nominatus est episcopus Caminensis a. 1478; obiit ante mensem Iulium 1482, cum iam 24.VII.1482 translatus est ad eam sedem ex Suessana Angelus Gherardini.*

2) *card. Raphael Riario-Sansoni († 1521), summi pontificis nepos.*

N. 81.

[Romae, 7.XI.1482.

*Sixtus IV pontifex maximus*
*Sbigneo Oleśnicki, archiepiscopo Gnesnensi*

*Refutat accusationem contra suos commissarios, Petrum Ioannem de Camerino et Urbanum de Urbanis, quasi facultatibus suis abuterentur, et praedicatorem novae expeditionis adversus Turcas, Bartholomaeum de Camerino, commendat.*

*Reg. ASV, Arm. 39, vol. 15, f. 117r-v.*
*— Ed. Theiner VMPL II, p. 219-220.*

Archiepiscopo Gneznensi.

Venerabilis frater, salutem etc. Alias, cum ad nos scripsisses dilectos filios Petrum Iohannem de Camerino et Urbanum de Urbanis de Montesancto, decretorum doctorem, nuntios nostros, facultatibus [117v] eis per nos concessis abuti, et eorum bullas suspicione fraudis non carere, commendavimus per breve nostrum Fraternitatemque Tuam laudavimus, quod eos ceperas, pecuniasque per ipsos ex cruciata et Rhodianis indulgentiis collectas ademeras; rati itaque esse et culpabiles illos exsistere[1]. Verum cum postea ad nos redierint, bullasque et scripturas per te illis ablatas ostenderint, et ex ordine cuncta rettulerint, cognovimus aliter rem se habere, et Fraternitatem Tuam non satis iustis causis motam, talia contra ipsos nuntios nostros tentasse, de quo certe mirati admodum sumus, nam id non sine nostrae et Apostolicae Sedis auctoritatis diminutione et opprobrio[a] ac detrimento non parvo tam pii operis factum est.

Hortamur itaque et attente monemus Fraternitatem Tuam, ut de caetero ab his abstineat et, quod minus honeste fecit, recte factis in hac causa emendet, Bartholomaeumque de Camerino, familiarem et commissarium nostrum, quem ad publicandam denuo cruciatam ad partes istas mittimus, commendatum suscipias, et in ea publicanda et publicari facienda, tam ipsi Bartholomaeo, quam eius substitutis omni opportuno favore et auxilio assistas. Non obstante quavis suspensione et revocatione per litteras nostras tibi vel aliis directas facta, caeterisque contrariis quibuscumque. Quod si tam sancto operi et pro fidei catholicae conservatione instituto, prout te decet, favebis, tui boni operis et laborum, quos circa hoc impendes, memores erimus. Secus agendo, quod tamen non credimus, graviter ferremus. Datum ut supra [Romae, die VII Novembris 1482, anno XIImo].

L[eonardus] Grifus

a) *in ms* obprobio
1) *breve hoc in registris non invenitur.*

N. 82.

[Romae, 7.XI.1482].

*Sixtus IV pontifex maximus*
*Iacobo de Dębno, capitaneo Cracoviensi*

*Expeditionem adversus Turcas iterum annuntiat, eiusque commissarium, Bartholomaeum de Camerino, commendat.*

*Reg. ASV, Arm. 39, vol. 15, f. 117v-118r.*
*— Ed. Theiner VMPL II, p. 219.*

Iacobo de Damno alias Dovenizki, capitaneo Cracoviensi.

Dilecte fili, salutem etc. Inter alias nostras occupationes et curas, ea nos praecipue excitat et movet, quae ad defensionem reipublicae christianae omniumque christifidelium conservationem pertinet, quos cum magnis damnis et cladibus affectos ab impiissimis et communibus hostibus, Turcis, non sine summo dolore saepius [118r] viderimus, et in futurum etiam ne afficiantur timeamus, cogitamus assidue de aliquo providere subsidio ad ipsos nefandos hostes reprimendos. Quare deliberavimus, ut in partibus istis denuo cruciata publicetur, pro qua dilectum filium Bartholomaeum de Camerino, familiarem et commissarium nostrum mittimus, hortantes et stricte requirentes Devotionem Tuam, ut ipsi Bartholomaeo et suis substitutis in publicatione[a] cruciatae ipsius caeterisque peragendis, quae ad tam sanctum et pium opus exsequendum pertinebunt, omni opportuno favore et auxilio adesse et assistere velis. In quo rem magni apud Deum meriti et plurimae apud homines commendationis efficies. Datum ut supra [Romae, die VII Novembris 1482].

L[eonardus] Grifus

a) *in ms* publicationem

*N. 83-98.*

*Romae, 7.XI.1482.*

*Sixtus IV pontifex maximus*
*Andreae Oporowski, episcopo Vladislaviensi, R.P. cancellario*
*Petro de Bnin, episcopo Premisliensi*
*Ioanni Wątróbka Strzelecki, archiepiscopo Leopoliensi*
*Martino Gasztołd, palatino Trocensi*
*Olechno palatino Vilnensi*
*Andreae Szeliga, episcopo Vilnensi*
*Stanislao Martini, episcopo Kioviensi vel eius locumtenenti*
*aliis novem episcopis et nobilibus*

*Expeditionem adversus Turcas eodem exemplo ac in N. 82 annuntiat.*

*Nota in reg. ASV, Arm. 39, vol. 15, f. 118r.*

*N. 99.*

*[Romae, 7.XI.1482].*

*Sixtus IV pontifex maximus*
*Mariano de Jeziorko et Michaeli Bal, fratribus Ordinis Minorum de Observantia*

*Bartholomaeum de Camerino se commissarium expeditionis adversus Turcas in R.P. constituisse notificat, eisque mandat, ut ad ipsius requisitionem dictam expeditionem annuntient.*

*Reg. ASV, Arm. 39, vol. 15, f. 117r.*
*— Ed. Theiner VMPL II, p. 219.*

(aVicario provinciae Or[dinis] Min[orum] de Observantia pro tempore exsistenti[1]) et fratri Michaeli Bal[a)][2]).

Dilecti filii, salutem etc. Pro defensione fidei catholicae et christifidelium conservatione ordinavimus publicari sanctam cruciatam in partibus istis, pro qua mittimus dilectum filium Bartholomaeum de Camerino, familiarem et commissarium nostrum. Quare, cum de probitate et doctrina vestra nobis relatum sit, volumus ac vobis in virtute sanctae oboedientiae mandamus, ut ad requisitionem dicti Bartholomaei huiusmodi cruciatam praedicare et omnibus notam facere debeatis, ac pecunias ex ea colligendas eidem Bartholomaeo consignetis, qui de mente nostra circa hoc plene est informatus. Datum ut supra [Romae, die VII Novembris 1482].

L[eonardus] Grifus

a-a) *inscriptio haec invenitur ad calcem textus, qui eodem exemplo* vicario provinciae Austriae *inscribitur.*

1) *Marianus de Jeziorko, cfr N. 64.*

2) *Michael Bal († 1496), vicarius generalis Ordinis Fratrum Minorum de Observantia in provincia Polona annis 1472-1476, 1482-1484, 1490-1493.*

## *N. 100.*

*Romae, 6.XII.1482.*

*Sixtus IV pontifex maximus*
*Iulio Caesari de Varano, domino Camerini*

*Cum Bartholomaeus de Camerino recusaverit cogere aliquos subditos eius ad reddendam rationem pecuniae, ex indulgentiis belli adversus Turcas perceptae, mandat ei, ut ipse contra illos procedat, donec satisfacerent, et ut iubeat dictum Bartholomaeum 700 ducatos a quodam Peregrino exigere.*

*Reg. ASV, Arm. 39, vol. 15, f. 115r-v.*

Domino Camerini[1]).

Dilecte fili, salutem etc. Cupimus, ut omnes, qui negotium [115v] tractarunt et administrarunt, reddant administrationis suae rationem, ut (asacrae illae pecuniae[a]) in opus pium, ad quod deputatae sunt, converti possint. Quare, cum saepius commiserimus dilecto filio Bartholomaeo de Camerino, subdito tuo, ut nonnullos, quorum nomina infrascripta sunt, cogeret ad talem rationem reddendam, et ad suscipiendum de eo, quod ex cruciata huiusmodi exegerunt, ipseque Bartholomaeus hactenus id facere

recusaverit, Nobilitatem Tuam hortamur in Domino et tibi mandamus, ut eundem Bartholomaeum carceret et gravibus poenis mulctet, nisi mandata nostra exsequatur in revidendo computa et exigendo pecunias, quas tales administratores ex cruciata recepissent.

Nomina autem illorum haec sunt: Nicolaus de Ponte, Ioannes Baptista alias Prete, Theodorus, Troilus, Franciscus de Tripontio, Marsilius, seu eius haeredes, et Petrus Antonii de Fregeno[2], et caeteri, qui medio istorum iuramento detegerentur aliquid ex dicta pecunia habere. Quorum omnium bona sequestrari facias, etiam requisito ad hoc capitaneo Cerreti[3], ubi omnes praedicti moram trahere dicuntur, quousque satisfacerent. In primis ordines, quod Bartholomaeus compellat quendam Peregrinum ad restitutionem septingentorum ducatorum, quos Venetiis permutavit et apud se retinet, qui ad Cameram Apostolicam praefatam occasione cruciatae pertinent. Datum Romae, die VI Decembris 1482, anno duodecimo.

L[eonardus] Grifus

a-a) *in ms* sacra illa pecunia

1) *Iulius Caesar de Varano († 1502), dominus (signore) et vicarius pontificius in Camerino.*

2) *de haeredibus Marini de Fregeno vide N. 80.*

3) *Cerreto d'Esi prope Fabrianum.*

*N. 101.*

*Romae, 10.XII.1482.*

*Sixtus IV pontifex maximus*
*Casimiro IV Iagellonidi, regi Poloniae*

*Bartholomaeum de Camerino, novum commissarium indulgentiarum pro expeditione adversus infideles, commendat atque permittit, ut ex collectis ab eo pecuniis unam partem sibi pro expugnandis Tartaris conservet.*

*Reg. ASV, Arm. 39, vol. 15, f. 118r-v.*
*— Ed. Theiner VMPL II, p. 220.*

Regi Poloniae.

Carissime in Christo fili noster, salutem etc. Ex nuntiis nostris, qui superiore anno in regno tuo fuerunt[1], cognovimus Maiestatem Tuam continuo cum infidelibus et praesertim Tartaris, regnum ipsum tuum invadentibus et infestantibus, bellum gerere. Nos, ut in tam pio et necessario incepto aliquid Tuae Maiestati subsidium afferamus, mittimus istuc dilectum filium Bartholomaeum de Camerino, familiarem et nuntium nostrum cum potestate pronuntiandi et pronuntiare faciendi sanctam cruciatam in partibus istis contra ipsos infideles et Tartaros, ut christifideles, spiritualibus muneribus invitati, manus tibi [118v] porrigant adiutrices ad hostes nefarios debellandos, prout latius in nostris sub bulla plumbea desuper editis litteris continetur, dantes praefato Bartholomaeo potestatem et facultatem, ut de pecuniis ex dicta cruciata colligendis unam partem, prout sua conscientia dictaverit, tibi in subsidium belli assignet, prout nos tenore praesentium assignamus et elargimur. Reliquam vero partem ad

Cameram nostram Apostolicam pervenire volumus, ut his et aliis pie collectis pecuniis immanibus hostibus christiani nominis Turcis resistere valeamus. Datum Romae, die X Decembris 1482, anno XII°.

L[eonardus] Grifus

1) *Petrus Ioannes et Bartholomaeus de Camerino, cfr N.N. 67-69.*

*N. 102.*

*[Romae, 10.XII.1482].*

*Sixtus IV pontifex maximus*
*Urieli de Górka, episcopo Posnaniensi*

*Concedit ei ulteriores facultates ex illegitimo toro natos legitimandi et a defectu natalium dispensandi.*

*Reg. ASV, Arm. 39, vol. 15, f. 118v.*

Episcopo Poznaniensi.

Venerabilis frater, salutem etc. Dedimus alias tibi facultatem concedendi plenarias indulgentias porrigentibus manus adiutrices ad defensionem fidei catholicae, prout latius in aliis nostris litteris continetur[1]. Et ut ex dictis indulgentiis uberior fructus pro tam sancto incepto proveniat, ultra alias, quas habes, etiam tibi facultates ex certa scientia nostra per praesentes elargimur, ut liceat tibi ex illicito cubitu[a] natos legitimare, et cum illis, qui natalium defectus patiuntur, dispensare, ad honores eos reducere omnemque ab eis infamiam abolere, ac etiam ad quoscumque actus legitimos et ad cuiuslibet ordinis promotionem habilitare ac legitimare, etiam quoad forum contentiosum; ita quod taliter a te vigore praesentium habilitati et legitimati omnibus privilegiis et praerogativis honoris et promotionis uti et potiri valeant, prout quilibet legitime natus potitur et gaudet. Constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac sacris canonibus et saecularibus legibus, caeterisque in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Datum ut supra [Romae, die X Decembris 1482].

L[eonardus] Grifus

a) *in ms* cobitu

1) *verisimiliter eiusmodi facultates inveniebantur in deperdito brevi de die 19.VI.1482 (cfr N. 77).*

*N. 103.*

*Romae, 10.XII.1482.*

*Sixtus IV pontifex maximus*
*Bartholomaeo de Camerino, collectori et commissario*

*Dat ei facultatem concedendi regi vel proceribus R.P., prout ei videbitur, a decima usque ad tertiam partem pecuniae a se in Polonia collectae vel colligendae.*

*Reg. ASV, Arm. 39, vol. 15, f. 119v-120r.*
*— Ed. partim Theiner VMPL II, p. 220.*

Bartholomaeo de Camerino, familiari et commissario.

Dilecte fili, salutem etc. De tua fide et industria saepius iam experta confisi, volumus ac tibi tenore praesentium concedimus facultatem, quod de omnibus et singulis pecuniis, rebus et bonis omnibus, ex quacumque causa et occasione hactenus collectis et reconditis per quoscumque collectores et nuntios apostolicos et dominos temporales, seu spirituales praelatos, quacumque praefulgeant dignitate, detentis et sequestratis, et Rhodianis[1], tibi licitum sit concedere et donare $X^{mam}$ partem, seu octavam, aut sextam et quartam, usque ad tertiam inclusive, prout tibi [120r] visum fuerit et iuxta exigentiam loci videris faciendum. Super quo tuam conscientiam oneramus. Et similiter de pecuniis colligendis et exigendis nomine sanctae cruciatae pro defensione catholicae fidei, super qua te commissarium nostrum deputavimus per nostras patentes litteras plumbatas, regibus, principibus, ducibus et baronibus, et etiam spiritualibus praelatis, eandem partem concedere valeas iuxta necessitatem regnorum, dominiorum et provinciarum eorundem, ut illis sic per te datis et concessis auctoritate nostra uti valeant pro eorum arbitrio licito et honesto. Datum Romae, die X Decembris 1482, anno XII°.

L[eonardus] Grifus

1) *cfr N.N. 60, 63, 67, 68.*

*N. 104.*

*[Romae, 10.XII.1482].*

*Sixtus IV pontifex maximus*
*Urieli de Górka, episcopo Posnaniensi*

*Bartholomaeum de Camerino commendat, et mandat, ut ei rationem collectoriae suae reddat, retenta summa 60 ducatorum, quam olim Petro Ioanni de Camerino praestitit; deputat eum, una cum dicto Bartholomaeo, commissarium pro exigenda pecunia Sedi Apostolicae quocumque modo debita.*

*Reg. ASV, Arm. 39, vol. 15, f. 118v-119v.*
*— Ed. Theiner VMPL II, p. 220-221.*

Episcopo Poznaniensi.

Venerabilis frater, salutem etc. Mittimus ad partes istas dilectum [119r] filium Bartholomaeum de Camerino, familiarem et commissarium nostrum, cum facultate publicandi sanctam cruciatam pro defensione reipublicae christianae omniumque christifidelium conservatione. Cui commisimus, ut Tuae Fraternitatis consilio et auxilio in omnibus utatur. Quare hortamur te, ut Bartholomaeum ipsum benigne recipias, et in his, quae a nobis per alias sub plumbo litteras in commissis habet, opportune ei faveas et assistas, ac de omnibus pecuniis, tam ratione collectoriae tuae, quam ex indulgentiis Rhodianis collectis, et penes te et in tua potestate exsistentibus, illi computum et rationem reddas[1]. Cui damus plenam facultatem de calculatis et solutis te quietandi et absolvendi; decernentes et tenore praesentium declarantes, quod quicquid in praemissis per ipsum nuntium

nostrum actum, seu gestum et ordinatum fuerit, ratum et gratum habebimus, ac censuras et poenas contra impedientes et rebelles per eum ferendas, faciemus, auctore Domino, inviolabiliter observari.

Praeterea, quoniam referente dilecto filio Petro Ioanne de Camerino, qui anno elapso de commissione nostra apud te fuit[2)], quod ei nomine nostro sexaginta ducatos Hungaros mutuo concessisti benigneque eum suscepisti, contentamur, quod dictam summam ad computum tuum ponas, et ipse Bartholomaeus commissarius ponat.

Postremo te commissarium una cum ipso Bartholomaeo facimus et deputamus ad cogendum et compellendum auctoritate nostra quoscumque alios collectores et nuntios apostolicos, detinentes et penes se aliquid pecuniarum ad Cameram nostram Apostolicam quoquo modo et quavis de causa pertinentium habentes, ut illas, etiamsi ex Rhodianis indulgentiis provenissent, vobis consignare debeant. Super quo vobis coniunctim et divisim plenam tribuimus potestatem compellendi, brachium saeculare, si opus fuerit, invocandi, solventes quietandi et liberandi, aliaque faciendi, quae in praemissis necessaria videbuntur; hortantes Fraternitatem Tuam, ut taliter se in his gerat, [119v] ut commendationem [a)]et gratiam[a)] nostram ab hac Sancta Apostolica Sede reportare merearis, prout te confidimus esse facturum. Datum ut supra [Romae, die 10 Decembris 1482].

L[eonardus] Grifus

a)-a) *suprascriptum.*

1) *cfr computum generalem Urielis annorum 1476-1485, editum a Theiner VMPL II, p. 183-200.*

2) *cfr N. 76.*

*N. 105.*

*Romae, 10.I.1483.*

*Sixtus IV pontifex maximus*
*Casimiro IV Iagellonidi, regi Poloniae*

*Nuntiat se velle cum omnibus Italiae potentatibus pacem inire, ut adversus Turcas omnes unanimiter procedere possint; quam pacem iam adeptus est cum omnibus, praeterquam cum duce Venetiarum Ioanne Mocenigo, qui Ferrariam obsidet et se ad arma cogit; petit, ut illi suadeat arma deponere.*

*Reg. ASV, Arm. 39, vol. 15, p. 152r-v.*

([a]Regi Poloniae[a]).

Carissime in Christo fili, salutem etc. Ut nihil omitteretur, quod ad communem omnium quietem pertineret, pacem cum Italicis potentatibus constituimus, in quo Deo immortali gratias agimus, quod prisco desiderio nostro est satisfactum. Inter enim multiplices pontificatus curas, in quibus animus noster assidue versatur, illa semper praecipua fuit, ut sublatis de medio discordiarum omnium fomitibus, inter catholicos principes mutuam benevolentiam pararemus, ea maxime ratione, quod ita postulare videbatur rerum christianarum necessitas, de qua quidem sanctissima re et apud te, et alios principes nuntiis et litteris saepius nos egisse meminimus.

Si autem unquam menti nostrae is ardor fuit, profecto nunc potissimum est, ut communi fidelium populorum periculo, quod ab immanissimis Turcorum gentibus imminere videmus, possit occurri. Quae res effecit, ut iniuriarum omnium obliti, publicae causae [gratia] condonaremus, si quid a quoquam offensionis lacessiti suscepimus, privata nostra [152v] publicis commodis postponentes, quo pacem hanc, hanc salutarem omnibus unitatem toto pectore, totis caritatis visceribus complecteremur, cum magna populorum omnium laetitia, qui ex diuturnis laboribus et incommodis, quae[b], bello impliciti, hactenus passi sunt, respirare coeperunt.

Unum solum, carissime fili, superest, quod ad perficiendum ex omni parte Italicae tranquillitatis unitati valde est necessarium: accessio videlicet dilecti filii nobilis viri Ioannis Mocenigo, ducis Venetiarum[1], et inclitae[c] illius reipublicae, qui nisi ab armis discedat Ferrariamque, nobilem et insignem Ro[manae] Ecclesiae civitatem, aliaque finitima loca oppugnare desinat, non potest Italica quies solido fundamento consistere, cum necesse sit ad ferendum obsessis subsidium armis iterum Italiam exagitare et oppressos bello protegere; et sic numquam intestinis discordiis et christiani[d] sanguinis effusioni finis erit. Hortati tamen sumus ducem ipsum, ut ab huiusmodi impugnationibus abstineat, reliquae totius Italiae consilium et unitatem sequatur, nollet solus a tam communi[e] et salutari bono dissentire, sicuti per exemplum his inclusum videre poteris[2]. Hortamur etiam Maiestatem Tuam, ut ad eum aut scribat aut mittat, studeatque[f] omni ratione ad pacem eum traducere, suadere, ut arma deponat, ab impugnatione rerum alienarum abstineat, nobiscum et cum aliis Italiae potentatibus hanc optabilem et necessariam pacem complectatur. Aliter alia provisione opus esse, cum nemo catholicus princeps pati debeat tantam Italiae perturbationem et discordiam, in praeiudicium totius christianae religionis. Datum Romae, die X Ianuarii 1483, anno XII°.

L[eonardus] Grifus

a-a) *inscriptio haec invenitur ad calcem textus, una cum inscriptionibus ad alios principes christianos Italiae et Europae.*

b) *in ms* qui

c) *in ms* inclytae

d) *in ms* christianae

e) *sequitur expunctum:* bono

f) *in ms* suadeatque

1) *Ioannes Mocenigo († 1485), dux Venetiarum annis 1478-1485, anno 1482 bellum movit adversus Herculem Estensem, ducem Ferrariae, S. Sedis feudatarium.*

2) *breve hoc, de data 11.XII.1482, editum est a Raynaldo (AE XI, p. 23-24.*

## *N. 106.*

*Romae, 1.III.1483.*

*Sixtus IV pontifex maximus*
*Casimiro IV Iagellonidi, regi Poloniae*

*Exemplum litterarum apostolicarum ad I. Mocenigo, ducem Venetiarum, mittit, quibus eum ab obsidione Ferrariae amovere conatur; petit, ut et ipse penes illum ducem intercedat.*

*Reg. ASV, Arm. 39, vol. 15, f. 198r.*
*— Ed. Theiner VMPL II, p. 221.*

(aRegi Poloniaea).

Carissime in Christo fili noster, salutem etc. Quibus rationibus Venetos ad communem Italiae pacem hortati fuerimus, ex exemplo litterarum nostrarum, quod superioribus diebus ad te misimus[1], videre potuisti. Cum autem responsum nobis dederint expectationi nostrae minime conveniens, alienum ab omni concordia et amicitia, minus religiosum et honestum, per quod aperte profitentur bellum prosequi velle, neque ab impugnatione statuum Sanctae Romanae Ecclesiae desistere, coacti fuimus iterum eos monere, ut a tam pernicioso incepto desistant, sicuti ex exemplo his incluso videre poteris[2]; quod Maiestati Tuae innotescere voluimus, ut intelligas iustificationem causae nostrae, simulque ut et illos pariter horteris ad omittendam huiusmodi provinciam, quam in praeiudicium Sanctae Romanae Ecclesiae, in perturbationem totius Italiae, in periculum christianae religionis prosequuntur, neque causam praebeant, ut alii christiani principes adversus se concitentur, ne propter eos Italia tantopere exagitetur, cum tanto et Apostolicae Sedis et rerum christianarum detrimento. Datum Romae, die prima Martii 1483, anno XII°.

L[eonardus] Grifus

a-a) *inscriptio haec invenitur ad calcem textus una cum inscriptionibus ad alios principes, dum ad caput ponitur:* Imperatori

1) *cfr N. 105.*

2) *comminatio excommunicationis, quae tandem promulgata erat* contra Venetos, qui civitatem Ferrariensem invaserunt, *Romae 23.V.1483 (bullam ed. Raynaldus AE XI, p. 38-42).*

## *N. 107.*

*Romae, 3.III.1483.*

*Sixtus IV pontifex maximus*
*Ioanni Roth, episcopo Vratislaviensi*

*Debitum 5300 ducatorum Hungaricorum, sub poenae excommunicationis comminatione, restitui iterum iubet.*

*Reg. ASV, Arm. 39, vol. 15, f. 199v.*
*— Ed. Theiner VMPL II, p. 221-222.*

Ioanni episcopo Wratislaviensi.

Venerabilis frater, salutem etc. Scripsimus ad te nuper, ut summam quinque millium et trecentorum ducatorum Hungarorum, in quibus olim Benedicto de Salviatis[a] et sociis mercatoribus Ro[manam] Curiam nostram sequentibus, nunc vero Sacro Cardinalium Collegio et Camerae nostrae Apostolicae, vigore cessionis dictae summae eisdem collegio et Camerae Apostolicae per praefatos Benedictum et mercatores factae, teneris et obligatus exsistis, solvi curares, vel in civitate Venetiarum Iohanni de Frescobaldis, mercatori Florentino, vel hic praefatae Camerae nostrae Apostolicae, prout tibi commodius foret[1].

Tu novis, praeter spem et opinionem de te nostram ac praeter debitum tuum, propositis nonnullis cavillosis exceptionibus, et minime bono viro, qualem te esse decet, convenientibus, te a solutione pecuniarum huiusmodi conaris eximere. Quae quidem singula per te excepta, prout sunt, inania et frivola reputantes, tibi tenore praesentium in virtute sanctae oboedientiae

et sub[b] excommunicationis poena, quam te ipso facto, si contrafeceris, incurrere volumus, necnon privationis ecclesiae et beneficiorum tuorum, districte praecipiendo mandamus, quatenus post receptionem praesentium, omni mora et exceptione remota, praefatas pecunias dicto Ioanni et praefatae Camerae Apostolicae, prout malueris, solvi cures cum effectu, eorum quae solveris quietantiam inde recepturus. De qua summa, si te quicquam ante notitiam cessionis huiusmodi rite solvisse constiterit, id solutum esse volumus. Alioquin, si (quod non credimus) praemissa facere neglexeris, quae tibi scripto comminati sumus, opere complebimus. Quod tibi prius significare voluimus, ut praecognitum periculum valeas evitare. Datum Romae, die III Martii 1483, anno XII°.

L[eonardus] Grifus

a) *in ms* Saluatis
b) *in ms* super
1) *cfr N. 73.*

*N. 108.*

*Romae, 3.III.1483.*

*Sixtus IV pontifex maximus*
*Benedicto abbati monasterii S. Mariae in Arena Vratislaviensi*

*Breve N. 107 transmittit iubetque, ut illud episcopo Ioanni Roth coram notario publico exhibeat.*

*Reg. ASV, Arm. 39, vol. 15, f. 199v-200r.*
*— Ed. Theiner VMPL II, p. 222.*

Abbati monasterii Beatae Mariae de Arena Wratislaviensi[1].

Dilecte fili, salutem etc. Mittimus ad te cum praesentibus litteris ad venerabilem fratrem Io[hannem] episcopum Wratislaviensem, Sacri Cardinalium Collegii et Camerae nostrae Apostolicae in summam quinque millium trecentorum ducatorum Hungarorum debitorem [200r] vigore cessionis eiusdem summae praefatis collegio et Camerae nostrae Apostolicae per Benedictum de Salutatis[a] et socios mercatores Romanam Curiam nostram sequentes, quibus in dicta summa, ratione Wratislavien[sis] ecclesiae, tenebatur [...][b], factae[2]. Quas quidem litteras, quarum etiam et praedictae cessionis instrumenti copias ad te mittimus alligatas, cum primum receperis, volumus ac tibi mandamus, ut eas praefato episcopo coram notario publico et testibus reddere atque exhibere exhibitionisque huiusmodi instrumentum nobis aut Camerae nostrae Apostolicae illico cum litteris tuis destinare debeas; ita ut de promptitudine ac diligentia apud nos merito valeas commendari. Datum Romae, die III Martii 1483, anno XII°.

Visa in Camera Apostolica.
A[ntonius] de Forlivio[3]

L[eonardus] Grifus

a) *sic in ms; debet esse* Salviatis, *cfr N. 73 et 107.*
b) *evidens omissio aliquae partis textus originalis.*
1) *quidam Benedictus, qui in documentis ecclesiae Vratislaviensis nominatur tamquam abbas dicti monasterii saltem ab a. 1472 ad a. 1485.*
2) *cfr N. 107.*
3) *Antonius de Forlivio (Forlì), clericus Camerae Apostolicae, canonicus basilicae S. Petri in Vaticano.*

## *N. 109.*

*Romae, 27.VIII.1483.*

*Sixtus IV pontifex maximus*
*Urieli de Górka, episcopo Posnaniensi*

*Concedit facultatem absolvendi a censuris Ioannem Rehwinkel, episcopum Sambiensem, ea tamen conditione, ut restituat pecuniam, quam ipse ex indulgentiis in dioecesi Pomesaniensi collegit et archiepiscopo Rigensi tradere noluit, et propterea ab eo excommunicatus fuit.*

*Reg. ASV, Arm. 39, vol. 16, f. 3v-4r.*

*— Copia saeculi XVIII, ibidem, vol. 16B, f. 27v-28v.*

Episcopo Poznaniensi collectori.

Venerabilis frater, salutem. Alias, intellectis calamitatibus, quibus ecclesia [Pomezaniensis][a] ex adversitatibus et turbinibus bellorum affecta erat[1], concessimus ei quasdam indulgentias pro illius instauratione et divini cultus auctione, reservata Camerae Apostolicae tertia parte pecuniarum et rerum inde provenientium, prout in aliis nostris litteris sub plumbo desuper datis plenius continetur. Ad quam partem colligendam deputavimus per breve nostrum venerabilem fratrem episcopum Sambiensem[2] illic vicinum, qui, uti nuper accepimus, [4r] cum partem ipsam diligenter collegisset, supervenit venerabilis frater archiepiscopus Rigensis[3] petens, vigore certi mandati nostri, illas sibi consignari. Quae[b] cum non consignarentur, episcopum ipsum Sambiensem excommunicavit. Et proinde Sambiensis ipse de opportuno absolutionis beneficio supplicari curavit, attento quod certis bonis respectibus id fecisse se asserit.

Quocirca, huiusmodi supplicationibus inclinati, Fraternitati Tuae committimus ac mandamus, quatenus, habitis et receptis prius dictis pecunii[s] a praefato Sambiensi episcopo, eum vel procuratorem ad hoc suum, per te vel alium absolvas a censuris, propterea in eum, [vel] in ipsum procuratorem illatis. Praeterea mandamus Fraternitati Tuae, ut praemissas et alias omnes pecunias, ad Cameram praefatam pertinentes (si quas habes), per tutam viam, quanto citius fieri poterit, ad nos transmittas, nullamque in hoc moram interponas. Datum Romae, die XXVII Augusti 1483, anno XIII°.

L[eonardus] Grifus

a) *in ms* tua, *sed ex contextu et tenore sequentis brevis N. 110 patet de ecclesia Pomesaniensi tractari.*

b) *in ms* Quod

1) *«Bellum Tredecim Annorum» (1454-1466) inter regem Poloniae et Ordinem Teutonicorum in mente habet.*

2) *Ioannes Rehwinkel († 1497), episcopus Sambiensis ab a. 1474, olim Ordinis Teutonicorum in Curia Romana procurator.*

3) *Stephanus Grube, cfr N. 70.*

## *N. 110.*

*Romae, 30.VIII.1483.*

*Sixtus IV pontifex maximus*
*Ioanni Rehwinkel, episcopo Sambiensi*

*Absolvit eum a censuris, quas archiepiscopus Rigensis in eum iecit* ex eo, quod partem pecuniarum nostrarum ex indulgentia ecclesiae Pomezaniensi concessa provenientium, quae ad Cameram Apostolicam pertinebat, consignari noluisti..., cum reincidentia tamen, si intra spatium quinque mensium pecunias huiusmodi non solveris venerabili fratri episcopo Poznaniensi, collectori nostro.

*Reg. ASV, Arm. 39, vol. 16, f. 6r-v.*
*— Ed. Theiner VMPL II, p. 226.*
*— Copia saec. XVIII, ibid., vol. 16B, f. 33r-v.*

*N. 111.*

*Romae, 30.VIII.1483.*

*Sixtus IV pontifex maximus*
*Urieli de Górka, episcopo Posnaniensi*

*Certiorem eum facit de absolutione episcopi Sambiensis et clausula (cfr N. 110), mandatque, ut* has et omnes pecunias ad Cameram Apostolicam pertinentes, si quas habes, quanto citius fieri poterit ad nos transmittas, nullamque in hoc moram interponas.

*Reg. ASV, Arm. 39, vol. 16, f. 6v.*
*— Ed. Theiner VMPL II, p. 226-227.*
*— Copia saec. XVIII, ibid., vol. 16B, f. 34r.*

*N. 112.*

*Romae, 4.XII.1483.*

*Sixtus IV pontifex maximus*
*Casimiro IV Iagellonidi, regi Poloniae*

*Dolet de crudelitatibus Pragae contra catholicos patratis; significat se nuntio B. de Marascha iniunxisse, ut cum imperatore Friderico et rege Hungariae Matthia de illis in posterum evitandis ageret; idem etiam ab ipso petit, eo vel magis, quod filius eius Vladislaus rex Bohemiae exstat.*

*Reg. ASV, Arm. 39, vol. 16, f. 89v-90r. Charta partim ex humiditate destructa, textus vix legibilis.*
*— Ed. Theiner VMPL II, p. 28.*
*— Copia saec. XVIII, ibid., vol. 16B, f. 204r-205v.*

Regi Poloniae
Carissime etc. Immensum dolorem nuper accepimus, teste Deo, auditis tot crudelitatibus, quae superioribus diebus gens pravitatis haereticae in civitate Pragensi contra fideles exercuit[1]), ingemuimusque valde super

populum illum tot diris scandalis agitatum, timentes, ne ipsa haereticorum immanitas[a], ut solet fieri, cum semel pudor ac metus depositi sunt, progrediatur ulterius, maioraque in istis partibus monstra producat. Scripsimus statim, habito cum venerabilibus fratribus nostris S.R.E. cardinalibus consilio, ad venerabilem fratrem episcopum Civitatis Castelli, nuntium et oratorem nostrum[2], iniungentes ei, ut cum carissimo filio nostro Frederico etc[3] et Mathia Ungariae rege de enormitate huius rei loquatur et a maiestatibus suis consilium requirat, quod fieri opporteat, ne catholica fides illic maiora patiatur detrimenta. Idem fecimus cum aliis praelatis circumvicinis et principibus christifidelibus, hortantes etiam unumquemque ipsorum ad opem pro viribus ferendam, ne incendium istud propagetur latius. Credimus non defuturum huic negotio quemque pro virili parte, cum et pium opus sit, et sanctum ac salutare, et etiam de communi re omnium catholicorum agatur.

Maiestati Tuae non propterea scribimus, quod putemus in eadem causa necessarium esse te, christianum regem, excitare verbis, praesertim cum et [tu] ibi habeas pignus carissimum[4], ad quod iuvandum satis Maiestatem Tuam excitat paterna caritas; verum has breves dedimus, ut scires causam hanc nobis esse vehementer cordi, et nihilominus te, sicut facimus, hortaremur ad provisiones et remedia necessaria adhibenda, ne istae haereticorum oppressio[nes] atque iniuriae magis [90r] contra catholicos invalescant. Nos quaecumque intelligemus commoda fore conducendis ac terminandis ad votum catholicae fidei, et haec praesertim, numquam omittemus efficere, modo et ab ipsa Maiestate Tua et ab aliis, quo pacto res se habeant et quod facto opus sit, certiores reddamur. Datum Romae, die III Decembris 1483, anno XIII°.

L[eonardus] Grifus

a) *in ms sequitur:* sic

1) *mense Septembri 1483 Hussitae insurrexerunt Pragae adversus magistratum et monasteria catholica, a rege Vladislao Iagellonide instaurata.*

2) *Bartholomaeus de Marascha vel Marasca († 1487), episcopus Civitatis Castelli ab a. 1474, qui mense Iunio 1483 nuntius cum potestate legati de latere ad imperatorem Fridericum et reges Poloniae, Bohemiae, Hungariae necnon Daniae erat destinatus.*

3) *imperatore, cuius tituli vocabulo* etc *hic substituuntur.*

4) *scilicet regem Vladislaum, eius filium.*

*N. 113.*

*Romae, 7.II.1484.*

*Sixtus IV pontifex maximus*
*Casimiro IV Iagellonidi, regi Poloniae*

*Ab eius oratore Romae, Stanislao Bużeński, ipsius nomine rogatus, nihil se polliceri legatis ducis Moscoviae circa regiam dignitatem illi conferendam promittit, donec novi oratores Poloni Romam adveniant.*

*Reg. ASV, Arm. 39, vol. 16A, f. 29v-30r.*

*— Copia saec. XVIII, ibid., vol. 16C, f. 83v-84r.*

*— Ed. Theiner VMPL II, p. 230. Reed. Welykyj DPU I, p. 167.*

Regi Poloniae.

Carissime etc. Rettulit nobis dilectus filius Stanislaus, orator apud nos tuus[1)], quemadmodum Maiestas Tua ad eum scripsit se intellexisse, quod dux Moskoviae[2)] oratores ad nos misit, petiturus a nobis imperialem sive regalem dignitatem in tota Ruthenica natione. Ex quo orator ipse tuus Maiestatis Tuae nomine nos vehementer rogavit, ut quoniam res haec magni momenti [sit] et tibi multisque aliis magnum praeiudicium [30r] afferre posset, velimus expectare oratores tuos, quos pro hoc negotio es missurus, antequam aliquid deliberemus. Novit Maiestas Tua paternum nostrum erga se animum, et nos omnia cupere, quae ex re et dignitate sua sint. Quare persuadeat sibi, si ad nos ille miserit pro huiusmodi impetratione, magna cum consultatione et maturitate nos esse processuros, et oratores tuos libenter in hoc prius intelligemus, quos expectabimus, si in tempore eos ad nos miseris. Datum Romae, die VII Februarii 1484, anno XIII°.

L[eonardus] Grifus

1) *Stanislaus Bużeński († 1484), canonicus Gnesnensis et Plocensis, qui autumno 1483 ad summum pontificem missus erat.*

2) *Ioannes III.*

N. 114.

*Romae, 21.XI.1484.*

*Sixtus IV pontifex maximus*
*Casimiro IV Iagellonidi, regi Poloniae*

*Inclusis exemplis litterarum Ferdinandi, regis Siciliae, et Petri de Aubusson, magni Ordinis S. Ioannis Hierosolymitani magistri, notificat imminentia pericula incursionis Turcarum in Italiam et ad communem expeditionem adversus eos invitat.*

*Reg. ASV, Arm. 39, vol. 18, f. 74r-v.*

([a]Regi Poloniae[a]).

Dilecte fili, salutem etc. Ex inclusis his litterarum exemplis, tam carissimi in Christo filii nostri Ferdinandi, Siciliae regis illustris[1)], quam magni Rhodianorum magistri[2)], quod nuntium exitiale ex aliis quoque pluribus locis accepimus, videre poterit Nobilitas Tua, quam magnum ab immanissimis Turcis periculum modo adversus christianos, praesertim Italos, immineat, quamque insatiabilis sit illorum barbarorum perpetua in sanguinem fidelium nostrorum sitis[3)]. Cui rei si non per illos, in quorum facultate est providere, statim occurratur, paulo post periculum erit, ne insanabile vulnus istud fiat.

Censemus igitur, ut quanto celerius fieri possit, ex quo de re communi totius christianitatis agitur, etiam communiter hoc negotium suscipiatur et mox remedia quaequam opportuna adhibeantur. Quod facere nobis, quanto maiore studio poterimus, in animo est, pro officio pastorali et cura christiani gregis nobis iniuncta. Paratique sumus pro exsecutione sancti

ipsius operis nihil[b], quod per nos fieri possit, omittere. Scripsimus hoc eodem tenore ad reliquos christianos potentatus ac principes, hortando eos in Domino, ut unusquisque pro virili parte esse huius propositi velit, una consulere, et ad effectum rei denique procedere, ita quod rabies huius immanissimi Turci contundatur et comprimatur. [74r] Tempus est enim, dilecte fili, ut non moremur diutius, ne idem hostis adveniens incautos et imparatos nos opprimat.

Quod ideo dicimus per praesentes Nobilitati Tuae, hortantes ipsam enixius et requirentes in Domino, ut, quod facere continue christianum principem decet, saluti suorum populorum et fidei rebus insistere, nunc maxime necessario tempore eadem faciat, disponatque se alacriter, una cum aliis, ad sanctum istud opus strenue prosequendum. Quocirca, ut melius ac citius possit hoc fieri, et necessaria abs te quoque subsidia simul conferantur, (coratores ad nos debita opera mittas cum pleno et sufficienti mandato[c]), ut sine ulteriori dilatione concludere super praemissis valeant, et conclusa firmare, ne tu in praesenti necessitate minus circa rem fidei fervens, vel erga Sanctam hanc Sedem obsequens videare, quam hactenus fueris. Interim quoque Nobilitas Tua studium omne velit adiungere, ut quantum in se est, sublatis[d] quibuscumque privatis odiis et discordiis, populi inter se pace fruantur, quo liberius et unitius praemissa exsequi omnes pariter valeamus. Datum Romae etc., die XXI Novembris 1484, anno primo.

L[eonardus] Grifus

a-a) *inscriptio haec invenitur ad calcem textus brevis, una cum inscriptionibus ad omnes potentatus Italiae et fere omnes principes catholicos Europae.*

b) *in ms* nichil

c-c) *sequitur lectio varians:* oratoribus proxime ad nos venturis tuo nomine specialiter ac plene committas

d) *sequitur additum pro Italis:* in Italia

1) *Ferdinandus dictus Catholicus († 1516), rex Siciliae ab a. 1452, et Castiliae ab a. 1474.*

2) *Petrus de Aubusson († 1503), magnus Ordinis S. Ioannis Hierosolymitani magister annis 1476-1501.*

3) *ambo referebant de praeparationibus sultani Bajazeti ad maritimam invasionem Italiae.*

## *N. 115.*

*Romae, [21.V.1485].*

*Innocentius VIII pontifex maximus*
*Ioanni III duci Moscoviae*

*De incursione eius exercitus in Livoniam dolet et postulat, ut memor beneficiorum, a Sixto IV receptorum, a vexatione illorum populorum Sanctae Sedi subiectorum desistat.*

*Reg. ASV, Arm. 39, vol. 18, f. 175r-v.*

Ioanni principi Muscoviae.

Dilecte fili, salutem etc. Non sine admiratione et molestia intelleximus quosdam ex tuis provinciis inquietos homines, sive iussu tuo, sive temere

et insolenter, ut plerumque fit, provinciam nostram Livoniae ingressos, illamque ad Tarbatensem usque ditionem pluribus in locis depopulatos esse[1], nec adhuc illos quiescere audimus, sed quotidie[a] magis ac magis conari circa illius provinciae depopulationem, non sine nostra et Ecclesiae Romanae summa ignominia. Et cum ad nos, tum ob fidem Christi, tum etiam quia nobis immediate subiicitur, tutela eius provinciae pertineat, non possumus profecto non egerrime ferre huiusmodi insolentias, maxime cum cogitamus eas inferri ab eo principe, a quo nos et Romana Sedes plurimum gratificationis et humanitatis expectare videbamur. Et ne Romanorum pontificum in te et tua [dominia] cumulata beneficia exprobrare tibi videamur, unum tamen commemorabimus, quod Tuae Nobilitati fe[licis] re[cordationis] Sixtus IIII[us], praedecessor noster, perhumaniter exhibuit, quando eius cura et liberalitate uxor tibi ex despotorum familia desponsaretur[2], ex quo illi te cum tuis omnibus facultatibus obtulisti et futurum obnoxium perpetuo devinxisti. Non sunt haec promissa tua, non nostra et Ecclesiae Romanae in te beneficia, si pietatis praedecessoris nostri in te et promissionis tuae in eum tam cito oblivisceris.

Quid deinceps te facturum putas, nos arbitrari [...][b]. [175v] Proinde cogita, quantum sit alienum ab humanitate nos laedere sine causa, et quam inhumanum principi fidem promissionemque fallere. Sed dices fortasse tuorum insolentia, non tua causa, id esse factum. Profecto, nisi crederemus hoc ipsum, non possemus tibi non multum succensere, providereque remediis opportunioribus, ut provincia nostra Livoniae tutior esset. Verum quoniam non possumus non arbitrari te, obnoxium Romanae Ecclesiae, huiusmodi insolentias nobiscum pariter, qui illi praesumus, ferre moleste, atque pro tua virili illis obsistere, et maxime obviare, idcirco hortamur te per pignus fidei tuae, ut velis non modo tu desistere ab his[c] vexationibus, verum etiam subditis et vasallis[d] tuis, ut desistant, omnino interdicere et prohibere, ne deinceps provincia nostra Livoniae de te vel tuis apud nos iure conqueri possit. Quod plane nobis et collegio nostro gratissimum erit, et in futurum aliquando, si desistes, et tibi et tuis propensiores esse poterimus. Datum Romae etc., ut supra [die XXI Maii 1485, anno primo].

L[eonardus] Grifus

a) *in ms* quottidie
b) *hic a scriba evidenter unus versus omissus est.*
c) *in ms* hijs
d) *in ms* vaxallis

1) *cfr N. 70.*
2) *Zoe ex imperatoria familia Palaeologorum, cfr N. 58.*

## *N. 116.*

*Romae, 28.I.1486.*

*Innocentius VIII pontifex maximus*
*Stephano de Nidzica, episcopo Culmensi*

*Breve eiusdem fere tenoris ac in N. 117, sed cum initio ponatur:* Commisimus alias quibusdam praelatis, *quod non erat verum, ut ex dicto N. 117 patet, ergo substitutum est ab illo (non constat, an sit expeditum).*

*Reg. ASV, Arm. 39, vol. 19, f. 161v.*
*— Ed. Theiner VMPL II, p. 233.*
*— Reed. Woelky UBC I, p. 574-575.*

## N. 117.

*[Romae, 6.III.1486].*

*Innocentius VIII pontifex maximus*
*Stephano de Nidzica, episcopo Culmensi*

*Mandat, ut transsumptum actorum canonisationis beatae Dorotheae de Montowy, a Bonifacio IX requisitorum, ad Sedem Apostolicam mittat.*

*Reg. ASV, Arm. 39, vol. 19, f. 243r.*

*Ed. Woelky UBC I, p. 575 (ex actibus "Processus canonisationis B. Dorotheae", qui olim in quodam archivo Prussico conservabantur et iam a T. Hirsch editi erant inter "Scriptores rerum Prussicarum", t. 2, Lipsiae 1863, p. 181).*

Episcopo Culmensi[1].

Venerabilis frater, salutem etc. Commisit alias, ut accepimus, felicis rec[ordationis] Bonifacius papa VIIII[us], praedecessor noster, quibusdam praelatis istarum partium, ut de miraculis, vita et moribus Beatae Dorotheae de Marienwerder[2], civitate Pomesaniensi in Prussia, se informarent, testesque et alia documenta reciperent ac processum desuper formarent[3]. Cum autem acceperimus huiusmodi processum perfectum esse et in ecclesia Pomesaniensi conservari, volumus ac tibi mandamus, ut illius transsumptum, bene et fideliter scriptum ac tuo autentico sigillo signatum, ad nos et Sedem Apostolicam mittas. Datum ut supra [Romae, die VI Martii 1486, anno secundo].

Hie[ronymus] Balbanus[4]

1) *Stephanus de Nidzica († 1495), episcopus Culmensis ab a. 1481.*

2) *Beata Dorothea de Montowy (1347-1394), "reclusa" in Kwidzyn (Marienwerder), passionis Jesu Christi cultrix eximia.*

3) *processus dioecesanus canonisationis Dorotheae incoeptus est a. 1396, opera praesertim Ioannis de Kwidzyn, qui illius vitam et mysticas revelationes conscripsit.*

4) *Hieronymus Balbani († 1492), Lucensis, secretarius domesticus Innocentii VIII, 1491 episcopus Perusinus.*

## N. 118.

*Romae, 12.VII.1486.*

*Innocentius VIII pontifex maximus*
*Casimiro IV Iagellonidi, regi Poloniae*

*Nuntiat se ei bullam indulgentiarum pro expeditione adversus infideles, ab ipso petitam, expedivisse, reservata tamen Sedi Apostolicae quarta parte proventuum ex illius publicatione provenientium.*

*Reg. ASV, Arm. 39, vol. 19, f. 476r.*
*— Ed. Theiner VMPL II, p. 240.*

Regi Poloniae.
Carissime in Christo fili noster, salutem etc. Expediri mandavimus bullam cruciatae, quam petisti[1]. Et licet moris sit semperque fieri consueverit, ut tertia pars proventuum ex similibus concessionibus cruciatae percipiendorum ad Cameram Apostolicam perveniant, tamen contemplatione Maiestatis Tuae, cuius catholicam mentem et optimam dispositionem erga nos et Sanctam Romanam Ecclesiam magni facimus et gratissimam habemus, de quarta tantum parte contenti fuerimus, ut cognoscas nos tibi plurimum tribuere, et quae pro te possumus libenter facere. Hortamur Maiestatem Tuam, velit ordinare et efficere, ut quarta huiusmodi pars et portio proventuum et reddituum omnium ex ipsa cruciata colligendorum et percipiendorum ad eandem Cameram Apostolicam omnino perveniant, sicuti te pro tua religione et aequitate facturum speramus. Datum Romae etc., die XII Iulii 1486, anno 2°.

Hie[ronymus] Balbanus

1) *bulla haec, de data 5.VII.1486, edita est a Theiner VMPL II, p. 234-240.*

N. *119.*

*[Romae, 12.VII.1486].*

*Innocentius VIII pontifex maximus*
*Urieli de Górka, episcopo Posnaniensi*

*Mandat ei, ut subcollectores constituat pro quarta parte pecuniae ex indulgentiis provenientis exigenda, utque eam tuto Romam transmittat.*

*Reg. ASV, Arm. 39, vol. 19, f. 476v.*
*— Ed. Theiner VMPL II, p. 240.*

Episcopo Posnaniensi, in R.P. collectori nostri.
Venerabilis frater, salutem etc. Concessimus nuper cruciatam contra Turcos in regno Poloniae[a], reservata quarta parte proventuum inde colligendorum Camerae Apostolicae[1]. Itaque volumus, tibique mandamus per praesentes, ut per provincias et loca regni ipsius aliquos succollectores, fide et facultatibus idoneos, paucos tamen numero, deputes, qui curam habeant quartam huiusmodi proventuum partem pro Camera ipsa retinendi et reservandi cum fide et diligentia. Cures etiam, ut expensae[b] circa hoc faciendae proportionaliter detrahantur, ne pro quarta huiusmodi parte ultra debitum ipsa Camera gravetur, ita[c] quod ipsae expensae[d] parvae

fiant et adnotatae, descriptaeque ad nos mittantur. Quas si immoderatas repperiremus, admissuri non sumus, sed iuxta aequitatem reducturi et reseccaturi. Insuper sollicitudine et studio uteris, ut quarta huiusmodi redditUum et proventuum pars, in pecuniam numeratam redacta, per tutam aliquam viam, prout magis expedire iudicaveris, ad eandem Cameram cito perveniat. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Datum ut supra [Romae, die 12 Iulii 1486].

Hie[ronymus] Balbanus

a) *sequitur expunctum:* collectori nostro
b) *in ms* expressae
c) *in ms* Itaque
d) *sequitur expunctum:* ne pro quarta huiusmodi parte
1) *cfr N. 118.*

*N. 120.*

*Romae, 3.V.1488.*

*Innocentius VIII pontifex maximus*
*Ioanni Rzeszowski, episcopo Cracoviensi*

*Mandat, ne prohibeat Andreae Petri de Chrościce possessionem canonicatus Cracoviensis adire, et ut efficiat, ne Ioannes Podlodowski in dictum canonicatum intrudatur.*

*Reg. ASV, Arm. 39, vol. 20, f. 24r-v.*
*— Ed. Theiner VMPL II, p. 242.*

Venerabili fratri episcopo Cracoviensi[1].

Venerabilis frater, salutem etc. Vacante alias canonicatu et praebenda ecclesiae tuae Cracoviensi[s] per obitum quondam Stanislai de Palensie[2], familiaris olim bo[nae] me[moriae] cardinalis Mantuani[3], nos de dictis canonicatu et praebenda sic vacantibus et nostrae ac Sedis Apostolicae dispositioni dumtaxat pro ea vice reservatis, dilecto filio Andreae Petri de Crosczioze[4], familiari nostro continuo commensali, apostolica auctoritate providimus, prout in aliis nostris sub plumbo desuper editis litteris plenius continetur.

Nuper autem accepimus, quod licet huiusmodi litterae debite intimatae et praesentatae fuerint, tamen ad possessionem dictorum canonicatus et praebendae admissus non fuit, [nam] (aquidam Ioannesa) Poddloschii[5], qui illos detinet indebite occupatos[b], regiae maiestati suggeri curavit, quod idem Andreas consensit pensioni desuper auctoritate nostra assignatae, licet id a veritate sit alienum, nulla enim pensio desuper constituta reperiatur. Considerantes[c] itaque provisionem huiusmodi nostram in familiarem, nobis ob merita sua dilectum, factam, debito effectui[d] demandari, Fraternitatem Tuam hortamur in Domino eique in virtute sanctae oboedientiae expresse [24v] praecipiendo mandamus, quatenus pro nostra et

huius Sanctae Sedis reverentia et honore eundem Andream familiarem nostrum, sive eius procuratorem pro eo, ad liberam, pacificam et expeditam dictorum canonicatus et praebendae possessionem, amoto dicto Ioanne et quolibet alio inlicito detentore, admittas ac admitti et recipi facias iuxta earundem litterarum nostrarum seriem et tenorem; quod erit iustum et officio tuo conveniens, qui tamquam catholicus praelatus provisiones apostolicas legitime et catholice factas confovere debes[e], nobis vero admodum gratum. Datum Romae, die III Maii MCCCCLXXXVIII, anno quarto.

A[ntonius] Tyburtinus[6]

a-a) *in ms* quondam Ioanne

b) *sequitur in ms* et

c) *in ms* consyderantes

d) *in ms* affectui

e) *in ms sequitur* et

1) *Rzeszowski obiit 28.II.1488. Cum eius successor, Fridericus, regis Casimiri filius, die 2.V.1488 in administratorem episcopatus Cracoviensis electus fuerit, ergo breve hoc adhuc ad Rzeszowski missum fuisse existimamus.*

2) *Stanislaus de Polędzie († 1486), in Curia Romana semper commorans, a. 1473 canonicatum Gnesnensem obtinuit.*

3) *cardinalis Franciscus Gonzaga († 1483), episcopus Mantuanus ab a. 1466.*

4) *Andreas Petri de Chrościce, a. 1485 canonicus Lanciciensis et vicarius cathedralis Plocensis. Cfr etiam N. 127.*

5) *Ioannes Podlodowski († 1510), secretarius regius.*

6) *Antonius de Grassis († 1491), episcopus Tiburtinus ab a. 1485, secretarius domesticus pontificis maximi.*

## *N. 121.*

*[Romae, 31.V.1488].*

*Innocentius VIII pontifex maximus*
*Casimiro IV Iagellonidi, regi Poloniae*

*Adhortatur eum, ut velit efficere, quo Benedictus de Waldstein, episcopus Caminensis, et Franciscus de Monte Sabutis ac alii pecuniam debitam Francisco et Bernardo de Binis restituant, ac procuratorem ipsorum M. A. de Scommunate, in hac causa missum commendat.*

*Reg. ASV, Arm. 39, vol. 20, f. 123r-v.*
*— Ed. Theiner VMPL II, p. 244-245.*

Kazimiro Poloniae regi illustri.

Carissime in Christo fili noster, salutem etc. Cum alias, ut accepimus, venerabilis frater Benedictus de Valdesten[1], episcopus Caminensis[a], et dilectus filius Franciscus de Monte Sabutis, Ordinis Minorum professor principalis[2], et nonnullae aliae personae, tam ecclesiasticae quam saeculares, eorum fideiussores, et principales debitores dilectorum filiorum Francisci et Bernardi de Binis, mercatorum Florentinorum, Ro[manam] Cu[riam] sequentium[3], in certa pecuniarum summa ex certis litteris caducis dictis mercatoribus obligati essent, prout in publicis instrumentis desuper confectis dicitur plenius contineri, venerabilis frater Petrus de Vincen-

tia, episcopus Caesenatensis[b], causarum Camerae Apostolicae generalis auditor[4], [123v] Benedictum episcopum et Franciscum principales, ac alios fideiussores praedictos ad dandam dictis mercatoribus praefatam pecuniarum summam sub excommunicationis sententia condemnavit[c], et non oboedientes postea excommunicavit, ac illis in excommunicationis sententia huiusmodi in ipsorum animarum perniciem animo indurato persistentibus, eos omnes et singulos excommunicatos aggravari et reaggravari ac fructus bonorum suorum ecclesiasticorum sequestrari, et nisi infra certum tunc expressum terminum praefatis mercatoribus satisfecissent, fructus praefatos distrahi et ex eorum pretio ipsis mercatoribus satisfieri mandavit, prout in processibus praefati auditoris plenius dicitur apparere.

Nos igitur attendentes, quod tanta contumacia et ecclesiasticarum censurarum contemptus mali exempli fomenta exsistunt, eorundem mercatorum iustis in hac parte nobis porrectis supplicationibus inclinati, Serenitatem Tuam hortamur in Domino et attente requirimus, velit pro sua aequitate et iustitiae debito efficere, ut processus praedicti et omnia et singula in eis contenta executioni demandentur, ac favere et assistere, quod dilectus filius Marcus Antonius de Scommunate, clericus Lucanae dioecesis, dictorum mercatorum procurator, commoditatem habeat ad exequenda in dictis processibus contenta, et alia pro dictis mercatoribus peragenda, ita quod commissas sibi procurationes perficere valeat. Quod erit iustum et nobis admodum gratum. Datum ut supra [Romae, die ultima Maii MCCCCLXXXVIII, anno quarto][d].

A[rdicinus] Aleriensis[5]

G[aspar] Blondus[6]

a) *in ms* Cannuensis

b) *in ms sequitur:* curiae

c) *in ms* condamanavit

d) *sequitur nota:* Simile Iohanni marchioni Brandenburgensi.

1) *Benedictus de Waldstein († 1499), episcopus Caminensis ab a. 1485.*

2) *nescitur quisnam esset iste Franciscus de Monte Sabutis (Salutis?), qui in documentis Fratrum Minorum in Polonia non apparet.*

3) *ambo ex insigni familia mercatorum Florentinorum; Bernardus († post 1555) fuit postea consul "nationis" Florentinae Romae.*

4) *Petrus Menzi de Vincentia († 1504), doctor decretorum, episcopus Caesenatensis ab a. 1487.*

5) *Ardicinus de Porta († 1493), referendarius pontificius, episcopus Aleriensis ab a. 1475, postea (1489) cardinalis.*

6) *Gaspar Biondi († 1493), datarius pontificius tempore Innocentii VIII et Alexandri VI.*

## *N. 122.*

*[Romae, 1.VI.1488].*

*Innocentius VIII pontifex maximus*
*Marco canonico regulari Glacensi*

*Cum monasterium Glacense a haereticis devastatum exsistat, concedit ei licentiam extra claustra illius commorari.*

*Reg. ASV, Arm. 39, vol. 20, f. 136r.*

Marco, canonico regulari monasterii Sanctae Mariae in Glatz, ordinis Sancti Augustini, Pragensis dioecesis[1].

Dilecte fili, salutem etc. Exponi nobis nuper fecisti, quod monasterium Sanctae Mariae in Glatz, Ordinis Sancti Augustini, Pragensis dioecesis, cuius canonicus regularis exsistis, ab haereticis illarum partium[2] adeo devastatum est, bonaque illius attrita, ut tu, qui senio confectus et ob varias tui corporis infirmitates debilis es, non possis pericula et rerum magnam penuriam, qua illud laborat, diutius ferre, et propterea a tuo superiore extra id manendi licentiam tibi concedi obtinuisti. Proinde nobis humiliter supplicari curasti, ut nos pariter commoditati tuae super hoc[a] opportune providere dignaremur.

Nos igitur, supplicationibus huiusmodi inclinati, tibi, ut extra dictum monasterium, sub illius tamen habitu et regularibus institutis, apud tuos consanguineos vel in alio aliquo honesto loco, ubi benevolos inveneris receptores, quoad vixeris morari et vitam degere, seu etiam alicui beneficio ecclesiastico pro capellano deservire et animarum curam gerere et exercere libere et licite possis et valeas, tenore praesentium apostolica auctoritate concedimus et indulgemus. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac monasterii et ordinis praedictorum, iuramento, confirmatione apostolica, vel aliter roboratis, statutis et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum ut supra [Romae, die prima Iunii 1488].

Habet signaturam.

B[aptista] de Gavion[ibus][3]

a) *in ms* quo

1) *monasterium canonicorum regularium S. Augustini congregationis Raudnicensis in oppido Kłodzko, hodie dioec. Opoliensis.*

2) *agitur de sequacibus Ioannis Hus.*

3) *Baptista de Gavionibus, registrator et secretarius pontificius saltem annis 1487-1488.*

*N. 123.*

*Romae, 1.VII.1488.*

*Innocentius VIII pontifex maximus*
*Urieli de Górka, episcopo Posnaniensi*

*Commissio exsecutionis supplicationis a summo pontifice signatae.*

*Reg. ASV, Arm. 39, vol. 20, f. 242v.*

*N. 124.*

*Romae, 11.VIII.1488.*

*Innocentius VIII pontifex maximus*
*Andreae et Ioanni Oporowski*

*Impertit illis, Bononiae litterarum studiosis, licentiam, ut a quocumque episcopo, Bononiae vel alibi residente, ad ordines ecclesiasticos promoveantur.*

*Reg. ASV, Arm. 39, vol. 20, f. 417v.*
*— Ed. Theiner VMPL II, p. 245-246 (cum lacunis).*
*Min. ASV, Arm. 40, vol. 1, f. [80r]. In dorso: R[egistratum].*

Andreae[a)], canonico Wladislaviensi, et Ioanni de Opporom[b)], fratribus germanis, Bononiae studentibus[1)].

Dilecti filii, salutem etc. Supplicari nobis humiliter fecistis, ut cum tu, Ioannes, ad minores, et tu, Andrea, ad sacros et presbyteratus ordines promoveri desideretis, dignaremur paterna benignitate licentiam vobis desuper impertiri. Nos huiusmodi supplicationibus inclinati, ut tu, Andrea, ad omnes et sacros et presbyteratus, tu vero, Ioannes, ad minores ordines inclusive, a quocumque malueritis catholico antistite, gratiam et communionem cum Apostolica Sede habente, Bononiae vel alibi residente, aliquibus diebus dominicae vel festivis, et extra tempora a iure statuta, simul vel successive promoveri facere, dummodo ad id reperiamini idonei, et aliud canonicum [impedimentum] non obstet[c)], super quo vestram et ipsius antistitis conscientiam oneramus, libere et licite possitis et valeatis, vobis licentiam concedimus, et eidem antistiti dictos ordines vobis conferendi facultatem elargimur. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae etc., die XI Augusti 1488, anno 4°.

L[eonardus] Grifus

([d]Habent signaturam[d)])
([e]Io[annes] Crothonensis[e)2)])

a) *in min. sequitur expuntum:* de Opporom
b) *sic in min. et reg. pro:* Opporow
c) *in reg.:* obsistat, *in min.:* obstet
d-d) *in min.:* Litterae sig[natae]
e-e) *in min. manu ipsius Ioannis de Viterbio*

1) *Andreas Oporowski, canonicus Vladislaviensis, et eius frater Ioannes († 1540), postea palatinus Iunivladislaviensis.*
2) *Ioannes de Viterbio († 1496), ab a. 1481 episcopus (Crotonensis) in Italia Inferiore, secretarius domesticus Innocentii VIII.*

## *N. 125.*

*[Romae, 11.VIII.1488].*

*Innocentius VIII pontifex maximus*
*Ioanni Zanega*

*Dispensat cum eo ad biennium ab obligatione sacros ordines suscipiendi, ad quos ratione possessionis ecclesiae parochialis in Tobiasze obligatus tenetur.*

*Reg. ASV, Arm. 39, vol. 20, f. 417v-418r.*
*— Ed. Theiner VMPL II, p. 246.*

Ioanni Zanega, rectori parochialis[a)] ecclesiae in Thabijeschovicze[1)], Gneznensis dioecesis.

Dilecte fili, salutem etc. Supplicari nobis humiliter fecisti, ut cum tu, qui servitiis dilecti filii Raphaeli[s] de Lesno, capitanei Lanciciensis[2], continue insistis, non possis in praesentia cum animi tui quiete ad sacros ordines, quemadmodum ratione parochialis[a] ecclesiae in [418r] Thabyeschovicze, Gneznensis dioecesis, quam obtines, arctaris, te promoveri facere, dignaremur tibi desuper opportuno adesse remedio. Nos tuis huiusmodi supplicationibus inclinati, ut rationibus dictae parochialis[a] [ecclesiae], aut cuius[vis] alterius beneficii ecclesiastici sacros ordines requirentis, per te forsan in posterum assequendi, ad biennium a data praesentium computandum, te promoveri facere minime tenearis, nec ad id invitus a quoquam quavis auctoritate cogi aut compelli possis, nec propterea dicta ecclesia et beneficia vacare censeantur, tecum de speciali gratia dispensamus. Non obstantibus *etc.* Datum ut supra [Romae, die XI Augusti 1488, anno quarto].

Habet signaturam.

Io[annes] Crothonien[sis][3]

a) *in ms* parrochialis

1) *Tobiaszewice (?), hodie Tobiasze in districtu Brzezinensi; parochia a saec. XV.*

2) *Raphael Leszczyński († 1501), qui a. 1486 orator regis Casimiri fuit Romae pro praestanda Innocentio VIII oboedientia; 1489 aulae regiae marschalcus.*

3) *Ioannes de Viterbio, cfr N. 124.*

## *N. 126.*

*Romae, 12.VIII.1488.*

*Innocentius VIII pontifex maximus*
*Ioanni Kisling, civi Cracoviensi*

*Concedit ei licentiam sacra loca Palestinae devotionis causa visitandi.*

*Reg. ASV, Arm. 39, vol. 20, f. 429r.*
*— Ed. Theiner VMPL II, p. 247.*

Dilecto filio Iohanni Keseling, laico Cracoviensis dioecesis[1].

Dilecte fili, salutem etc. Supplicari nobis humiliter fecisti, ut cum tu, zelo devotionis accensus, desideres[a] Dominicum Sepulcrum et alia pia loca ultramarina visitare, dignaremur paterna benignitate tibi licentiam desuper impertiri. Nos tuis huiusmodi supplicationibus inclinati, tibi, ut una cum tribus sociis seu familiaribus tuis, quos duxeris eligendos, Dominicum et Sanctae Katherinae[b] in Monte Sinay sepulchra, ac alia oratoria et pia loca ultramarina visitare, illaque, sine quibus peregrinationem huiusmodi commode adimplere non posses, dummodo a iure prohibita non sint, tecum deferre ac etiam exhibere libere possis et valeas, tenore praesentium concedimus et indulgemus. Non obstantibus *etc.* Datum Romae, die XII Augusti 1488, anno 4°.

Habet signaturam.

Io[annes] Crothonien[sis][2]

a) *in ms* desyderes

b) *sic in ms.*

1) *Cracoviae hoc tempore tres Ioannes Kisling, ex Germania oriundi, vixerunt; agitur forsan de eo, qui postea a. 1490 consul Cracoviensis erat († 1534).*

2) *Ioannes de Viterbio, cfr N. 124.*

N. 127.

[Romae, 26.VIII.1488].

*Innocentius VIII pontifex maximus*
*Sbigneo Oleśnicki, archiepiscopo Gnesnensi*

*Mandat ei et capitulo eius ecclesiae, ut, sub poenis ecclesiasticis, Nicolaum Czepiel ad canonicatum et praebendam ecclesiae Gnesnensis, per obitum Alberti de Piotrawin vacantes, admittant, et Stanislaum Gruszczyński, qui, instigantibus Nicolao de Latowicz, Ioanne de Krotoszyn et Andrea de Chrościce, in eas se intrusit, amoveant.*

*Reg. ASV, Arm. 39, vol. 20, f. 463v-464r.*
*— Ed. Theiner VMPL II, p. 248-249.*

Archiepiscopo Gneznensi.

Venerabilis frater, salutem. Pro parte dilecti filii Nicolai Czepel, canonici Gneznensis, decretorum doctoris, cubicularii nostri[1], fuit nobis nuper expositum, quod cum alias lite in Ro[mana] Curia coram venerabili fratre Antonio episcopo Tyburtino, locum unius ex palatii apostolici causarum auditoribus de mandato nostro tenente[2], inter dictum Nicolaum et quondam Albertum de Pijotrawijn[3], tunc in humanis agentem, ac dilectos filios Nicolaum de Lathowicz[4] et Ioannem de Crothoschino[5], nec non Andream Petri de Cresczycze[6], qui se gerunt pro clericis, super certis canonicatu et praebenda ecclesiae vestrae Gnesnensis indecisa pendente, dictus Albertus, tunc in possessione eorundem canonicatus et praebendae existens, apud Sedem Apostolicam fuisset vita functus, dilectus filius Stanislaus Grussynsky[7], qui se gerit pro clerico, in eisdem canonicatu et praebenda, super quibus minime litigabat, se intruisit; et deinde dictus Nicolaus Czepel, contra Nicolaum de Lathowicz et Iohannem ac Andream praefatos litigando, diffinitivam pro se et contra Nicolaum de Lathowicz ac Io[hannem] et Andream praedictos, quae nulla provocatione suspensa, in rem transivit iudicatam, sententiam reportavit, litteris executorialibus desuper in forma solita decretis.

Et licet litterae ipsae tam vobis et[a] forsan eidem Stanislao intimatae fuerint, vosque illarum vigore pro parte ipsius Nico[lai] Czepel fueritis debite[b] requisiti, ut ipsum, vel procuratorem suum eius nomine ad possessionem dictorum canonicatus et praebendae admi[tteretis, sibique de illorum][c] [464r] fructibus responderetis, et eundem Sta[nislaum] a possessione huiusmodi amoveretis, nihilominus sumpta per vos occasione, quod dicta sententia contra eundem Sta[nislaum] lata, et litterae ipsae contra eum nominatim decretae non fuerint, quamvis contra Ni[colaum] de Lathowicz, Io[hannem] et Andream praedictos, ac etiam intrusos et intrudendos in genere decretae existerent, id facere hactenus indebite recusastis et recusatis in eiusdem Nicolai Czepel damnum et praeiudicium non modicum; de qua re profecto non parum miramur, cum id in contemptum Sedis Apostolicae et eius mandatorum factum fuisse negari non possit.

Quocirca Discretioni Vestrae in virtute sanctae oboedientiae et sub interdicti ab ingressu ecclesiae et excommunicationis in singulos vestrum censuris et poenis, quas, nisi mandatis huiusmodi nostris cum effectu parueritis, vos et vestrum singulos eo ipso decernimus incurrisse, districte praecipiendo mandamus, quatenus receptis praesentibus, eundem N[icolaum] Czepel, vel procuratorem suum eius nomine, in corporalem posses-

sionem dictorum canonicatus et praebendae, iuriumque et pertinentiarum suorum universorum, iuxta tenorem dictarum litterarum executorialium, inducatis et defendatis inductum, dictumque Sta[nislaum] et quemlibet alium eorundem canonicatus et praebendae detentorem seu occupatorem, si quis fuerit, ab illis realiter et cum effectu amoveatis ac eidem Nicolao Czepel, vel eius procuratori, de dictorum canonicatus et praebendae reddi[tibus], proventibus, iuribus et obvenientibus universis integre respondeatis, et, quantum in vobis fuerit, faciatis ab aliis responderi. Non obstantibus *etc.* Datum ut supra [Romae, die XXVI Augusti 1488].

A[rdicinus] Aleriensis[8].

Episcopo sub interdicti ingressus ecclesiae tantum, cui non fuerunt praesentatae litterae, de quibus sit mentio. Capitulo sub excommunicationis poena in singulos.

Io[annes] Crothoniensis[9]

a) *suprascriptum.*

b) *in ms* debitae

c) *adscriptum in margine.*

1) *Nicolaus Czepiel († 1518), Posnaniensis, 1488 doctor decretorum studiis Romae peractis, postea in Academia Cracoviensi professor et secretarius regius, litterarum cultor, beneficiorum "piscator".*

2) *Antonius de Grassis, cfr N. 120.*

3) *Albertus de Piotrawin († 1488), canonicus Gnesnensis.*

4) *Nicolaus de Latowicz, doctor decretorum, poenitentiarius in basilica S. Petri, canonicus Gnesnensis ab a. 1483.*

5) *Ioannes de Krotoszyn († 1512), scholasticus Posnaniensis, postea cantor Gnesnensis (1493) et canonicus Cracoviensis.*

6) *de Chrościce, cfr N. 120.*

7) *Stanislaus Gruszczyński († post 1490) canonicatum hunc Gnesnensem adeptus est a. 1486 vigore reservationis a Sixto IV firmatae; brevi hoc obtento, capitulum cessit minis et Czepel ad dictum canonicatum admisit.*

8) *Ardicinus de Porta.*

9) *Ioannes de Viterbio.*

## *N. 128.*

*Romae, 1.IX.1488.*

*Innocentius VIII pontifex maximus*
*Andreae Róża Boryszewski, archiepiscopo Theomoniensi*

*Cum post eius nominationem ad archiepiscopatum Leopoliensem, cui certi canonicatus et praebenda Cracovienses de iure adiunguntur, compertum sit possessorem eorum, Ioannem Strzelecki, adhuc in vivis esse, idcirco eum, archiepiscopum Theomoniensem et coadiutorem cum iure successionis dicti archiepiscopi interea nominatum, in possessione alterius canonicatus Cracoviensis, quem iam Nicolao Czepiel contulit, usque ad ecclesiae Leopoliensis assecutionem conservat.*

*Reg. ASV, Arm. 39, vol. 20, f.506r-507r.*

Andreae archiepiscopo Theomoniensi[1].

Venerabilis frater, salutem etc. Dudum canonicatu et praebenda ecclesiae Cracoviensis, per tuam liberam resignationem de illis, quos, tunc in minoribus constitutus, obtinebas, in manibus nostris sponte factam et per nos admissam, vacantibus, nos de illis sic vacantibus et nostrae dispositioni apostolicae reservatis, dilecto filio Nicolao Cepel[2], ipsius ecclesiae canonico, decretorum doctori, venerabilis fratris nostri Ro[derici], episcopi

Portuensis, SRE vicecancellarii[3], familiari continuo commensali, providimus gratiose; et deinde, cum a nonnullis assereretur certos alios canonicatum et praebendam dictae ecclesiae Cracoviensis ac ecclesiam Leopoliensem per obitum venerabilis fratris Ioannis archiepiscopi Leopoliensis, licet nunc viventis[4], vacare, nos posteriores canonicatum et praebendam huiusmodi tibi contulimus, ac de persona tua dictae ecclesiae Leopoliensi providimus[5]; et successive, habita per nos notitia, quod ecclesia Leopoliensis minime vacabat, nos ecclesiae Theomoniensi[6] de eadem persona tua, nobis[a] et fratribus nostris ob tuorum eximiam meritorum [copiam] accepta, etiam duximus providendum, praeficiendo te illi in archiepiscopum et pastorem, teque ipsi Ioanni archiepiscopo quoad regimen et administrationem dictae ecclesiae Leopoliensis ac canonicatus et praebendae praedictorum, quos dictus Leopoliensis archiepiscopus obtinet, [coadiutorem] deputavimus, ac cedente vel decedente eodem Ioanne archiepiscopo, te ex tunc a vinculo, quo ecclesiae Theomoniensi teneris, absolventes, ad dictam ecclesiam Leopoliensem transtulimus ac in archiepiscopum et pastorem praefecimus, prout in diversis nostris desuper confectis litteris, quarum tenores, ac si de [506v] verbo ad verbum praesentibus insererentur, haberi volumus pro sufficienter expressis, plenius continetur.

Cum autem, sicut nobis nuper exposuisti, dictus N[icolaus] possessionem sibi collatorum canonicatus et praebendae huiusmodi nondum adeptus fuerit, sed tu illos ac domum et villam praestimonialem eorum adhuc possideas, quos absque magno incommodo tuo, donec alias canonicatum et praebendam praefatos assecutus fueris, dimittere non posses, nos indemnitati tuae desuper providere volentes, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, tibi in possessionem priorem canonicatus et praebendae, ac domus et villae praedictarum, donec dictam ecclesiam Leopoliensem, aut alias canonicatum et praebendam praedictos assecutus fueris, absque tamen praeiudicio collationis et provisionis dicto Nicolao factae huiusmodi, continuare illorumque omnes et singulos fructus, redditus et proventus, etiam quotidianas distributiones, ac omnia alia ratione eorundem canonicatus et praebendae debita, percipere et levare, ac in suos usus utilitatemque convertere, necnon stallo in choro et capitulo ecclesiae praedictae Cracoviensis solitis suis loco et voce gaudere, libere, licite, prout antea poteras et debebas, possis et debeas, auctoritate apostolica, tenore praesentium, de specialis dono gratiae indulgemus, dilectis filiis capitulo Cracoviensi sub excommunicationis latae sententiae poena districte praecipiendo mandantes, ut tibi de fructibus, redditibus et proventibus, ac aliis praemissis, integre, prout prius, respondeant, teque in tua possessione pacifica manuteneant atque conservent, omni exceptione et dilatione cessante. Non obstantibus *etc.* Datum Romae, die prima Septembris MCCCCLXXXVIII, anno quarto.

Trapezunt[ius][7]

a) *ms* vobis

1) *Andreas Róża Boryszewski († 1510), commorabatur Romae ab a. 1463, canonicus multorum capitulorum cathedralium in Polonia, 1493 archiepiscopus Leopoliensis, 1503 Gnesnensis.*

2) *Nicolaus Czepiel.*

3) *Rodericus Borgia († 1503), cardinalis ab a. 1456, episcopus Portuensis ab a. 1476, summus pontifex Alexander VI ab a. 1492.*

4) *Ioannes Wątróbka Strzelecki, archiepiscopus Leopoliensis ab a. 1481, obiit a. 1493.*

5) *Bulla huius nominationis, de die 23.V.1488, conservabatur olim in Archivo Capitulari Leopoliensi; edita est in* Akta grodzkie i ziemskie, *t. 6, Lwów 1876, p. 215.*

6) *ecclesia Theomoniensis (in partibus) non invenitur in registris hierarchiae catholicae huius temporis.*

7) *Andreas Trapezuntius, abbreviator, scriptor et secretarius summorum pontificum annis 1455-1490.*

N. 129.

[Romae, 3.IX.1488].

*Innocentius VIII pontifex maximus*
*Laurentio Grodzicki, canonico Posnaniensi*

*Committit ei, ut absolvat Dobrogostium Krzyżanowski a censuris, quas contraxit litigando cum Bartholomaeo de Widawa, dummodo lis amicabiliter inter eos componatur.*

*Reg. ASV, Arm. 39, vol. 20, f. 482v-483r.*
*— Ed. Theiner VMPL II, p. 249.*

Laurentio Gredzijnbrij, canonico Posnaniensi[1].

Dilecte fili, salutem etc. Exhibita nobis pro parte dilecti filii Dabregostii Crzyzansvosky, cantoris ecclesiae Plocensis[a][2], petitio continebat, quod cum ipse vigore certi monitorii coram dilecto fratre episcopo Caesenatensi, curiae causarum Camerae Apostolicae moderno auditore[3], ad instantiam dilecti filii Bartholomaei de Vidava tractus fuerit in causam, idem Bartholomaeus absolutoriam pro se et contra eundem Dabregostium, cum expensarum condemnatione, sententiam reportavit, quae in rem transivit iudicatam, litteris executorialibus desuper decretis, ob quarum non paritionem ipse Dabregostius declaratus, ac successive aggravatus et reaggravatus ac interdictus fuit[4].

Proinde cum idem Dabregostius cupiat cum dicto Bartholomaeo super praemissis amicabiliter componere et ab huiusmodi censuris, dicta occasione per eum incursis, absolvi, nobis, ut sibi desuper adesse et opportune providere de benignitate apostolica dignaremur, humiliter supplicari curavit, quare nos, [qui] discordias et lites omnes e medio tolli et[b] unumquemque in mutua caritate et benevolentia vivere cupimus, huiusmodi supplicationibus inclinati, tibi harum serie committimus et mandamus, quatenus ipsum Dabregostium, postquam cum dicto Bartholomaeo super praemissis amicabiliter composuerit, ab huiusmodi censuris de consensu dicti Bartholomaei, recepto tamen prius [483r] ab eodem iuramento de parendo mandatis Sanctae Matris Ecclesiae, iniunctaque eidem pro modo culpae poenitentia salutari, absolvas ac fidelium participationi restituas. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Datum ut supra [Romae, die III Septembris 1488, anno 4°].

Ia[cobus] Picherier[5]

a) *in ms* Pragen., *in N. 61 vocatur et est Plocensis.*
b) *in ms sequitur* quod
1) *Laurentius Grodzicki († post 1503), filius Iacobi, mercatoris Posnaniensis, doctor medicinae.*
2) *Dobrogostius de Krzyżanowo, cfr N. 61.*
3) *Petrus Menzi de Vincentia.*
4) *cfr N. 61.*
5) *Iacobus Picherier, secretarius Innocentii VIII et Alexandri VI annis 1488-1498.*

N. 130.

[Romae, 3.IX.1488].

*Innocentius VIII pontifex maximus*
*Andreae Gołuchowski, canonico Posnaniensi*

*Committit ei, ut examinet et decidat iudicialiter in causa inter Iacobum Szulc et Petrum Adae, cives Posnanienses, in Curia Romana indecisa pendente.*

*Reg. ASV, Arm. 39, vol. 20, f.488r-v.*

Andreae de Goluchovo, canonico Posznaniensi[1]).

Dilecte fili, salutem etc. Intelleximus carissimum in Christo filium Kazimirum, Poloniae regem illustrem, desiderare[a]), ut causa inter dilectum filium Iacobum Scolicz[2]), clericum Posznanien[sem], venerabilis fratris nostri Iohannis episcopi Albanen[sis][3]) familiarem continuum commensalem, actorem ex una, et dilectum filium Petrum Adae, civem Posznanien[sem], reum convictum, ex altera partibus, super certa haereditate ad ipsum Iacobum, ut asseritur, spectante, coram venerabili fratre Antonio episcopo Tyburtino[4]), referendario nostro domestico, locum unius ex palatii apostolici auditoribus de mandato nostro tenente, in prima instantia pendet indecisa, in partibus illis iustitia seu concordia terminetur, et propterea eidem Iacobo, ut in patriam redire possit sine aliquo impedimento, per suos ad nos nuper destinatos oratores, salvum conductum dari fecit. Quare praefatus Iacobus Scholcz, sperans, si istuc se conferat, suum facilius consequi posse, decrevit ad partes istas se conferre.

Nos, qui etiam cupimus causam huiusmodi terminari, tibi per praesentes mandamus, ut vocatis coram te ambabus partibus et aliis, qui forsitan fuerint evocandi, iura illarum ac articulos coram te producendos, diligenter, summarie ac de plano, absque strepitu et figura iudicii, videas ac testes desuper recipias et examines ac omnia in scriptis redigas, ac causam huiusmodi, si facere poteris, iudicio vel concordia de praesentium consensu cures terminare; [488v] alioquin nos de his, quae feceris, reddas certiores, iuraque et attestationes ad auditorem causae transmittas, ut exinde, prout expedire novimus, providere et partibus iustitiam ministrari facere possimus. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Datum ut supra [Romae, die III Septembris 1488].

A[rdicinus] Aleriensis[5])

Ia[cobus] Picherier

a) *in ms* desyderare

1) *Andreas Gołuchowski († post 1503), canonicus Posnaniensis.*

2) *Iacobus Szulc (Szucz, Schultz, † 1528) Posnaniensis, non ab a. 1490, sicut usque nunc credebatur, sed iam ante a. 1488 Romae commorabatur, ubi postea procuratorem episcoporum Poloniae agebat; ab a. 1521 canonicus Gnesnensis.*

3) *Ioannes Balue († 1491), cardinalis episcopus Albanensis ab a. 1483.*

4) *Antonius de Grassis.*

5) *Ardicinus de Porta.*

## *N. 131.*

*[Romae, 6.IX.1488].*

*Innocentius VIII pontifex maximus*
*Casimiro IV Iagellonidi, regi Poloniae*

*Petit, ut efficiat, quo Martinus de Vilna possessionem capellaniae ecclesiae S. Nicolai Calissiae, a Nicolao Oleski contra ius suum occupatae, adipiscatur.*

*Reg. ASV, Arm. 39, vol. 20, f.497v-498v. In margine nota:* Trapezunt[ius] pro Piche[rier].

Kazimiro Poloniae regi.

Carissime in Christo fili noster, salutem etc. Alias quadam perpetua capellania [498r] seu altari in ecclesia Sancti Nicolai oppidi Calisz, Gnesnensis dioecesis, per obitum quondam Stanislai de Wijelun, in dicta ecclesia dum viveret perpetui capellani, apud Sedem Apostolicam defuncti, vacante[a]), fe[licis] re[cordationis] Sixtus papa IIII, praedecessor noster, capellaniam praedictam sic vacantem dilecto filio Martino de Wijlna, perpetuo in dicta ecclesia capellano, providit, iuripatronatus laicorum, si quod erat, specialiter et expresse pro illa vice derogando, prout in litteris apostolicis desuper confectis plenius continetur. Et deinde, licet praefatus Martinus rem iudicatam pro se et contra quemdam Nicolaum Oleszky[1]), se pro clerico gerentem, in nostro causarum palatio apostolico super dicta capellania obtinuerit, litteris exsecutorialibus desuper in forma solita decretam, tamen praefatus Martinus, qui familiaris noster continuus commensalis exsistit, sub eo praetextu, quod idem Nicolaus Maiestati Tuae suggessit, seu suggeri fecit, non licere [et] rite [non] consuevisse Romanum pontificem iuripatronatus huiusmodi derogare, possessionem dictae capellaniae, seu altaris, nondum potuit adipisci.

Quare, cum plenaria dispositio omnium beneficiorum ad Romanum pontificem semper pertinere noscatur, et de beneficiis ecclesiasticis quibuscumque apud dictam sedem vacantibus indifferenter et ab immemoriali tempore Romani pontifices disponere consueverint, dictusque Nicolaus falsum [498v] super hoc Maiestati Tuae suggeri procuraverit, ex quo se favoribus eiusdem Maiestatis reddidit indignum, hortamur Maiestatem Tuam in Domino, atque attente requirimus, ut eidem Martino, qui nobis plurimum gratus et acceptus existit, quique Maiestati praefatae bonus et fidelis subditus est, taliter assistere et favere velit, ut dictae capellaniae possessionem pacificam assequi possit et manuteneatur in illa, necnon fructus, redditus et proventus dictae capellaniae, per dictum Nicolaum indebite perceptos, recuperare valeat, cessante quolibet impedimento et obstaculo. In quo Serenitas Tua rem se dignam et iustitiae consentaneam ac nobis gratam efficiet. Datum ut supra [Romae, die 6 Septembris 1488, anno 4°.

Trapezun[tius]

a) *in ms* vacantem

1) *Nicolaus Oleski († 1526), ab a. 1483 canonicus Gnesnensis et Posnaniensis, a. 1525 administrator dioecesis Posnaniensis.*

*N. 132.*

*[Romae, 6.IX.1488].*

*Innocentius VIII pontifex maximus*
*Nicolao Czepiel, canonico Cracoviensi*

*Confirmat reservationem canonicatus et praebendae Cracoviensis, ipsi olim collatorum, in quorum possessione vult adhuc conservare Andream Boryszewski, donec ille archiepiscopatum Leopoliensem consequatur.*

*Reg. ASV, Arm. 39, vol. 20, f.496v-497v.*

Nicolao Cepel, canonico Cracoviensi, decretorum doctori.

Dilecte fili, salutem etc. Dudum canonicatu et praebenda ecclesiae Cracoviensis per liberam resignationem venerabilis fratris Andreae archiepiscopi Theomoniensis de illis, quos tunc in minoribus constitutus obtinebat, in manibus nostris sponte factam et per nos admissam, vacantibus, nos de illis sic vacantibus et nostrae dispositioni apostolicae reservatis, tibi providimus gratiose. [*Deinde describit, iisdem fere verbis ac in N. 128, quomodo idem Andreas Boryszewski ad eundem canonicatum et praebendam redire coactus sit*, absque tamen praeiudicio collationis et provisionis tibi factarum].

Nos igitur, ne forsan contingeret ullo unquam tempore te praemissorum occasione molestari, praesertim praetextu constitutionis super publicanda resignatione in loco beneficii et possessione petenda beneficii resignati per nos editae[1], tibi ut interim [497v] resignationem praedictam publicare ac possesionem petere minime tenearis, et nihilominus interim, si contingat dictum Andream archiepiscopum in illorum possessione decedere, collatio et provisio tibi factae praedictae, validae et efficaces existant et esse[b], dictique canonicatus et praebenda non per obitum, sed per resignationem huiusmodi plene vacasse censeantur, auctoritate apostolica tenore praesentium de specialis dono gratiae indulgemus; dilectis filiis capitulo Cracoviensi, ut in eventum huiusmodi te ad possessionem dictorum canonicatus et praebendae absque aliqua dilatione vel excusatione recipiant et admittant, sub excommunicationis latae sententiae poena districte praecipiendo mandantes, ac decernentes ex nunc irritum et inane, si secus super his[a] ab eis et alio quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Non obstantibus *etc.* Datum ut supra [Romae, VI Septembris 1488].

Trapezun[tius]

a) *in ms* hijs
b) *sic in ms.*

1) *cfr* Novae regulae super gratiis expectativis, *editae 4.III.1486.*

*N. 133.*

*[Romae, 26.II.1490].*

*Innocentius VIII pontifex maximus*
*Sbigneo Oleśnicki, archiepiscopo Gnesnensi*

*Committit ei exsecutionem surrogationis Andreae Wspinek in canonicatum Gnesnensem, per promotionem Lucae Watzenrode ad ecclesiam Varmiensem vacantem, de quo tamen lis in prima instantia adhuc indecisa pendet.*

*Reg. ASV, Arm. 39, vol. 21, f.390r-v.*

Archiepiscopo Gneznensi.

Venerabilis frater etc. Cum nos, postquam venerabilem fratrem Lucam de Thormis[1], inter quem, tunc possessorem, et dilectum filium Nicolaum de Latowitz, lis super certis canonicatu et praebenda ecclesiae Gneznensis in prima instantia coram certo palatii apostolici causarum auditore tunc pendebat, ad ecclesiam Warmiensem, tunc pastore carentem, de fratrum nostrorum S.R.E. cardinalium consilio et assensu promoveramus[2], ac ius, quod eidem Lucae tempore promotionis huiusmodi in ipsis canonicatu et praebenda competebat, vacare decreveramus, dilectum filium Andream Wspinek[3], clericum Gneznensis dioecesis, in huiusmodi iure, quod eidem Lucae, tempore de eius persona ad dictam ecclesiam Warmiensem promotionis, competebat, ipsiusque iuris ac litis et causae prosecutionem, necnon ad possessionem [390v] canonicatus et praebendae praedictorum, in qua ipse Lucas existebat, surrogari mandaverimus, prout in litteris nostris desuper confectis plenius continetur.

Volentes[a], quod litterae nostrae huiusmodi mandati de surrogando et quoad possessionem suum debitum et totale sortiantur effectum, et ne ipsorum canonicatus et praebendae possessione vacua exsistente fructus, redditus et proventus earum depereant et depredentur, Fraternitati Tuae mandamus, quatenus ad totalem ipsarum nostrarum litterarum huiusmodi exsecutionem, etiam quoad surrogationem ad possessionem faciendam, ac si tu in ipsis litteris nostris earundem exsecutor deputatus fuisses, procedas. Non obstantibus praemissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum ut supra [Romae, die 26 Februarii 1890].

Iul[ianus] de Cesarinis[4]

A[rdicinus] cardinalis Aleriensis[5]

a) *in ms* velimusque

1) *Lucas Watzenrode († 1512) de Toruń, canonicus Gnesnensis ab a. 1481.*

2) *Watzenrode electus est episcopus Varmiensis a capitulo 19.II.1489, et die 18.V eiusdem anni confirmatus.*

3) *Andreas Spinek (Wspinek) de Bądkowo († 1493), "semper in curia Romana demorans", admissus est ad hunc canonicatum a. 1490.*

4) *Iulianus de Cesarinis († 1510), protonotarius apostolicus, cardinalis ab a. 1493.*

5) *Ardicinus de Porta.*

## *N. 134.*

*Romae, 4.III.1490.*

*Innocentius VIII pontifex maximus*
*Nicolao de Mniszewo, decano*
*et Michaeli Prażmowski, archidiacono Plocensibus*

*Commissio exsecutionis interclusae (sed non registratae) supplicationis* manu dilecti filii nostri Ardicini cardinalis Aleriensis in praesentia nostra signatae.

*Reg. ASV, Arm. 39, vol. 21, f. 432v. Inscriptum:* Decano et archidiacono ecclesiae Plocensis, vel eorum alteri.

## *N. 135.*

*Romae, 10.III.1490.*

*Innocentius VIII pontifex maximus*
*Benedicto de Waldstein, episcopo Caminensi*

*Approbat facultatem reformandi conventus Ordinis Praedicatorum in eius dioecesi consistentes, ipsi a magistro generali illius ordinis concessam.*

*Reg. ASV, Arm. 39, vol. 21, f. 465r-v. Textus scriptus duabus manibus differentibus.*

Episcopo Caminensi[1].

Venerabilis frater, salutem. Exponi nobis fecisti, quod tu, zelo caritatis erga populum tibi commissum [accensus], considerans[a] populum huiusmodi ex fratrum Ordinis Praedicatorum, in tua dioecesi commorantium, quorum bono exemplo et sana doctrina ad meliora debuerat erudiri, vitae intemperantia morumque pravitate a bona et salubri vita retrahi, [465v] corrumpi et scandalizari; volensque praemissis pro tuo posse occurrere, a magistro generali dicti ordinis[2] conventus seu domos eorundem fratrum in tua dioecesi consistentium[3] per fratres de congregatione Hollandiae[4], eiusdem ordinis, reformandi et ad debitam sui ordinis observantiam reducendi licentiam, facultatem et auctoritatem obtinuisti, quam, ac litteras desuper emanatas, pro illorum subsistentia firmiori, ut confirmare dignaremur, humiliter supplicari curasti.

Nos igitur huiusmodi supplicationibus inclinati, omnes et singulos concessiones, facultates et magistri generalis litteras praedictas, quarum tenores hic pro expressis habentes, auctoritate apostolica tenore praesentium, quatenus opus sit, confirmamus et approbamus. Non obstantibus constitutionibus *etc.* Datum ut supra [Romae, die X Martii 1490].

Io[annes] Gerona[5]

a) *in ms* consyderans
1) *Benedictus de Waldstein.*
2) *Ioachim Torriani († 1500), magister generalis Ordinis Praedicatorum annis 1487-1500.*
3) *dicti conventus omnes in parte occidentali dioecesis Caminensis inveniebantur (hodie in Germania) et ad provinciam Saxoniae pertinebant.*
4) *congregatio observantiae Ordinis Praedicatorum nata est in Hollandia a. 1444 opera praesertim Ioannis Uytenhove.*
5) *Ioannes de Gerona, notarius Camerae Apostolicae, deinde registrator, scriptor et secretarius pontificius annis 1478-1490.*

## *N. 136.*

*Romae, 1.VII.1490.*

*Innocentius VIII pontifex maximus*
*Martino Niechanowski et Vladislao Głębocki, decretorum doctoribus, canonicis ecclesiae Gnesnensis, vel eorum alteri*

*Commissio exsecutionis supplicationis manu card. Ardicini de Porta praesente pontifice signatae.*

*Reg. ASV, Brev. Later., vol. 1, f. 9v-10r.*

## N. 137.

*Romae, 7.VIII.1490.*

*Innocentius VIII pontifex maximus*
*Sigismundo de Targowisko*

*Concedit ei facultatem se ab ordinario suo ad sacros ordines promovendi.*

*Reg. ASV, Brev. Later., vol. 1, f. 217v-218r. In margine sinistro alia manu:* De promovendo ad sacros ordines a suo ordinario.

Sigismundo de Targovislio[1], Cracoviensis dioecesis.

Dilecte fili, salutem. Humilibus pro parte tua nobis porrectis supplicationibus inclinati, tibi qui, sicut asseris, minores ordines hic in Urbe suscepisti, et maiores omnes sacros, etiam presbyteratus ordines, pro tua devotione sumere desideras, ut a tuo ordinario, gratiam et communionem Apostolicae Sedis habente, temporibus a iure statutis, ad omnes sacros et presbyteratus [218r] ordines huiusmodi te promoveri facere, et in illis, postquam promotus fueris, in altaris misterio ministrare libere et licite possis, dummodo alias ad id reperiaris idoneus et aliud canonicum impedimentum non obstet, licentiam concedimus, *etc*[a]. Datum Romae, die 7ª Augusti 1490, anno 6º.

Habet signaturam

C[hristophorus] Corton[ensis][2]

a) *clausalae sicut in N. 124.*

1) *Sigismundus de Targowisko († post 1513), doctor decretorum, postea cancellarius card. Friderici Iagellonidis et praepositus Cracoviensis.*

2) *Christophorus Bordini de Pratella († 1502), secretarius pontificius et episcopus Cortonensis ab a. 1477.*

## N. 138.

*Romae, 14.VIII.1490.*

*Innocentius VIII pontifex maximus*
*Friderico Iagellonidi, episcopo Cracoviensi, eiusque capitulo*

*Mandat eis, ut amoto Ioanne Turski, usurpatore condemnato et excommunicato, Iacobum de Lipowiec, familiarem suum, ad possessionem archidiaconatus Sandecensis admittant, eique et Camerae Apostolicae proventus dicti archidiaconatus a Turski perceptos reddendos curent.*

*Reg. ASV, Brev. Later., vol. 1, f. 251v-252v.*

Electo[1] et capitulo ecclesiae Cracoviensis.

Dilecti filii, salutem. Non sine ingenti admiratione intelleximus, quod licet olim dilectus filius Iacobus Andreae de Lippowijez, archidiaconus Sandecensis, accolitus et familiaris noster[2], ad dictum [252r] suum archidiaconatum, per nos motu proprio et ex certa scientia, contra processum et sententiam olim Ioannis Rzeschoffslrii[3], episcopi Cracoviensis, inter alia

restitutus fuisset, et quidam Ioannes Turslrij[4], qui se gerit pro clerico, dicti archidiaconatus occupator, pro eo quod processibus apostolicis monitorialibus super occupatione archidiaconatus praedicti legitime monitus, non paruit, per sententiam declaratoriam, quae nulla appellatione, saltem legitima, suspensa, in rem transivit iudicatam, tam ad dicti Iacobi, quam etiam procuratoris fiscalis pro interesse Camerae Apostolicae, excommunicationis ac alias censuras ecclesiasticas et pecuniarias poenas, tunc expressas, incurrisse declaratus, aggravatus, reaggravatus et interdictus, una cum invocatione brachii saecularis, per venerabilem fratrem episcopum Nucerinum[5], et successive per nostrae Camerae Apostolicae auditorem generalem, sicque innodatus in vilipendium et contemptum censurarum ecclesiasticarum mandatorumque et processuum apostolicorum praedictorum, ac dicti Iacobi et Camerae nostrae damnum non modicum et iacturam, in dictis censuris insorduit et interdictum huiusmodi violavit, neque rei iudicatae praefatae, prout tenetur, parere, et possessionem dicti archidiaconatus dimittere curavit, neque Iacobo et procuratori nostro fiscali, sive Camerae Apostolicae, de pecuniariis poenis huiusmodi satisfacere voluit, quinimmo, contemptis[a] censuris praefatis, praemissa facere hactenus distulit, prout differt de praesenti.

Quocirca Discretioni Vestrae in virtute sanctae oboedientiae et sub similibus poenis in eisdem processibus [252v] contentis, quas omnes, nisi parueritis, vos et quemlibet vestrum eo ipso incurrisse decernimus, districte praecipiendo mandantes, quatenus receptis, seu vobis intimatis praesentibus, amoto primitus ab occupatione dicti archidiaconatus et ab eius possessione dicto Ioanne Tuslrii[b], praefatum Iacobum, vel suum procuratorem, eius nomine, realiter et cum effectu, absque aliqua affectata dilatione vel excusatione, ad possessionem dicti archidiaconatus admittatis et de proventibus univeris eiusdem dicto Iacobo archidiacono per quoscumque iurisdictioni suae quovis modo subiectos, sub similibus poenis ipso facto incurrendis, responderi faciatis.

Et nihilominus dictum Ioannem Tuslrii, tamquam pertinacem, excommunicatum, aggravatum, reaggravatum et interdictum occasione non solutionis poenae praedictae, evitetis et ab aliis, quantum in vobis fuerit, evitari faciatis, donec et quousque procuratori fiscali et Iacobo praedictis de pecuniis, de quibus dictus Ioannes Tuslrii condemnatus exsistit, fuerit satisfactum, ipseque Ioannes excommunicatus beneficium absolutionis obtinere meruerit. In praemissis taliter vos gerentes, quod de prompta oboedientia vestra possitis erga nos et Sanctam Sedem Apostolicam merito commendari. Quod si secus feceritis, contra vos et singulos praefatos ad acriora remedia procedemus, iustitia mediante. Datum Romae, die 14 Augusti 1490, anno 6°.

A[rdicinus] cardinalis Aleriensis[6]

Ioannes Crothon[ensis][7]

a) *in ms* contentis

b) *sic in ms*

1) *Fridericus Iagellonides († 1503), regis Casimiri filius, 2.V.1488 electus administrator episcopatus Cracoviensis, 1491, aetatem 25 annorum adeptus, episcopus constitutus, 1493 cardinalis et etiam archiepiscopus Gnesnensis factus.*

2) *Iacobus de Lipowiec, cfr. N. 52.*

3) *Rzeszowski.*

4) *Turski.*

5) *Ioannes de Ceretanis († 1492), episcopus Nucerinus ab a. 1476.*

6) *Ardicinus de Porta.*

7) *Ioannes de Viterbio.*

N. 139.

*Romae, 4.VII.1493.*

*Alexander VI pontifex maximus*
*capitulo ecclesiae Cracoviensis*

*Mandat eis, ut Andream Boryszewski et Nicolaum Czepiel ad suos canonicatus et praebendas in capitulo Cracoviensi, provisione Innocentii VIII obtentos, admittant.*

*Reg. ASV, Brev. Later., vol. 2, f. 562r-563r.*

Dilectis filiis capitulo ecclesiae Cracoviensis.

Dilecti filii, salutem etc. Dudum, cum de persona dilecti filii Iohannis Brandae, tunc canonici Cracoviensis, notarii nostri, ecclesiae Primisliensi, tunc certo modo vacanti, apostolica auctoritate duximus providendum[1]), nos canonicatum et praebendam ecclesiae Cracoviensis, quos tunc obtinebat, per promotionem huiusmodi dumtaxat vacare decernentes, canonicatum et praebendam praedictos, sic vacantes [562v] et antea dispositioni apostolicae reservatos, venerabili fratri Andreae archiepiscopo Leopoliensi, tunc Theonennensi archiepiscopo[2]), per alias nostras contulimus; et cum ipse archiepiscopus certos alios canonicatus et praebendas dictae ecclesiae in manibus fe[licis] re[cordationis] Innocentii papae VIII, praedecessoris nostri, antea sponte et libere resignasset, idem Innocentius praedecessor, resignatione huiusmodi per eum admissa, de aliis canonicatu et praebenda praedictis dilecto filio Nicolao Cepel, canonico Poznaniensi, nostro, tunc suo, cubiculario et familiari continuo commensali, per alias suas litteras providit, ac voluit dictoque archiepiscopo concessit, quod donec possessionem regiminis et administrationis ecclesiae Leopoliensis aut alios canonicatum et praebendam dictae ecclesiae Cracoviensis foret assecutus, possessionem dictorum canonicatus et praebendae, quos dictus Iohannes obtinebat, per decretum huiusmodi vacaverint, nec sibi licet ulterius illorum possessionem retinere[3]), nos, volentes, ut provisiones praedictae suum debitum, velut aequum est, sortiantur effectum, vobis per praesentes in virtute sanctae oboedientiae districte praecipiendo [563r] mandamus, ut receptis praesentibus, archiepiscopum et Nicolaum praedictos, vel procuratores eorum, ad possessionem dictorum canonicatuum et praebendarum pacificam, liberam et expeditam respective, iuxta tenorem bullarum desuper expeditarum, admittatis et manuteneatis in illa. Quod si, ut speramus, feceritis, rem vobis debitam et nobis gratissimam praestabitis. Datum IIII Iulii 1493, anno primo.

B[artholomaeus] Floridus[4])

1) *Ioannes Brandys de Grabieszyce, secretarius regius, canonicus Cracoviensis, nominatus et confirmatus (provisione pontificia 3.IX.1492) episcopus Premisliensis, dictum episcopatum resignavit a. 1493.*

2) *de A. Boryszewski, tunc archiepiscopo Theomoniensi, vide N. 129.*

3) *cfr N. 129.*

4) *Bartholomaeus Flores († 1498), ab a. 1489 episcopus Sutrinus et Nepesinus, dein Cusentinus; anno 1497 depositus et carceribus mancipatus propter abusus, quos, quum esset secretarius summi pontificis, in conficiendis litteris apostolicis commisit.*

## *N. 140.*

*Romae, 19.VII.1493.*

*Alexander VI pontifex maximus*
*Ioanni Alberto Iagellonidi, regi Poloniae*

*Petit, ut efficiat, quo Nicolaus Czepiel ad possessionem canonicatus et praebendae Cracoviensis admittatur.*

*Reg. ASV, Brev. Later., vol. 2, f. 501v-502v.*

Carissimo in Christo filio nostro Ioanni Alberto[1], Poloniae regi illustri.
[502r] Carissime in Christo fili, salutem etc. Nuper canonicatu et praebenda ecclesiae Cracoviensis per liberam resignationem venerabilis fratris Andreae Rosa, archiepiscopi tunc Theomoniensis, nunc Leopoliensis, tunc ipsius ecclesiae canonici, in manibus nostris sponte factam et per nos admissam, apud Sedem Apostolicam vacantibus, nos de illis sic vacantibus et antea dispositioni apostolicae reservatis, dilecto filio Nicolao Cepel, canonico Cracoviensi, decretorum doctori, cubiculario ac familiari nostro continuo commensali, per alias nostras litteras providimus generose, prout in illis plenius continetur[2].

Quare, cupientes, ut provisio huiusmodi suum debitum (velut aequum est) consequatur effectum, Maiestatem Tuam plurimum hortamur in Domino atque attente requirimus, ut pro sua in hanc Sanctam Sedem Apostolicam reverentia et devotione, nostra quoque contemplatione, eidem N[icolao], qui longo tempore, etiam dum cardinalatus fungeremur honore, in servitiis nostris fuit, tam in assequenda possessione dictorum canonicatus et praebendae, quam in aliis eum concernentibus, omnes favores opportunos praestare [502v] velit, quo cognoscamus commendationem nostram huiusmodi fructum sibi aliquem attulisse; in quo Maiestas Tua rem se dignam et nobis pergratam effecerit. Datum Romae, die XVIIII Iulii 1493, anno primo.

B[artholomaeus] Floridus

1) *Ioannes Albertus († 1501), Casimiri IV Iagellonidis filius, Poloniae rex annis 1492-1501.*
2) *cfr N. 139.*

## *N. 141.*

*Romae, 19.VII.1493.*

*Alexander VI pontifex maximus*
*Friderico Iagellonidi, episcopo Cracoviensi*

*Confirmat facultatem, ipsi olim ab Innocentio VIII concessam, indulgentias christifidelibus, in eius primae missae celebratione praesentibus, elargiendi.*

*Reg. ASV, Brev. Later., vol. 2, f. 503r-v.*

Venerabili fratri Frederico, episcopo Cracovviensi.
Venerabilis frater, salutem etc. Dudum fe[licis] re[cordationis] Inno-

centius papa VIII, praedecessor noster, tibi omnibus utriusque sexus christifidelibus, qui primae missae per te cantandae et benedictioni in eadem missa elargiendae interessent, plenariam omnium peccatorum suorum, de quibus corde contriti et ore confessi forent, indulgentiam et remissionem auctoritate apostolica concedendi facultatem concessit, prout in quibusdam aliis litteris suis, in forma brevis desuper confectis, plenius continetur[1]. Nos igitur, qui personam tuam ob tuorum exigentiam meritorum paterna benevolentia prosequimur, facultatem [503v] praedictam auctoritate apostolica tenore praesentium approbamus, illamque in omnibus et per omnia de novo eisdem modo et forma, potiori pro cautela concedimus. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non omnibus illis, quae idem Innocentius praedecessor in litteris praedictis voluit non obstare, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae, XIX Iulii 1493, anno primo.

B[artholomaeus] Floridus

1) *Registrum, in quo hoc breve inveniebatur, deperditum est.*

*N. 142.*

*Romae, 17.V.1494.*

*Alexander VI pontifex maximus*
*Michaeli Bal, vicario provinciali Ordinis Fratrum Minorum de Observantia in Polonia*

*Iterum mandat ei, ut a Vladislao, Bohemiae et Hungariae rege, impetret, quo ipse Beatricem, regis Matthiae viduam relictam, sibi secreto desponsatam, pro uxore admittat; mandatque, ut falsas voces, quasi ipse dissolutionem illius matrimonii promisisset, corrigat.*

*Copia, ASV, Arm. 32, vol. 21, f. 153v. Ad caput textus nota*: Breve Alexandri VI ad Bal, tunc vicarium Ordinis Minorum de Observantia.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem. Miramur a Fraternitate Tua nihil[a] hactenus scriptum fuisse super negotium matrimonii charissimi in Christo filii nostri Wladislai, Hungariae et Bohemiae regis illustris, cum carissima in Christo filia Beatrice de Aragonia, regina relicta quondam carissimi Mathiae regis, contracti[1], prout Fraternitas Tua, cui idem negotium praecipue commisimus [...][b], quantopere cupiamus, ut sublatis quibusdam difficultatibus et dissidiis, pro quiete utriusque partis ad optatum exitum res perducatur. Proinde volumus ac tibi mandamus, quanta potes diligentia apud eundem regem efficaciter insistas, eumque omni ratione adducere studeas, ut praefatam Beatricem, de Maiestate Sua optime meritam, sicut catholico regi convenit, traducat et coniugali affectu atque honore pertractet. In quo, iuxta brevia nostra, ei desuper scripta, Deo et nobis plurimum satisfaciet, et quieti ac dignitati suae, eiusque regiae familiae existimationi consulet. Cum proculdubio ex multiplicatis iniuriis[c] magnam infamiae maculam incurret.

Praeterea non sine admiratione accepimus istic aliquos in vulgus iactare, nos quandam dispensationem promisisse ad dissolutionem dicti matrimonii. Nescimus quorum temeritate tam impudens mendacium sit divulgatum, quia nihil[a] tale cogitavimus. Certo sciat Fraternitas Tua nihil nos concessisse, nec ad instantiam cuiusvis concessuros in iniuriam et praeiudicium regis aut reginae, ad quod ex iustitiae debito non teneamur. Nitetur Fraternitas Tua omni dexteritate apud quoscumque opus fuerit, ad omnia scandala devitanda, et huic materiae pro desiderio nostro finem imponere. Et interim, quo loco et quid sperare possimus, et quid de caeteris rebus istic agatur, nobis scribere non differat. Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XVII Maii MCCCCLXXXXIIII[d], pontificatus nostri anno secundo.

a) *in ms* nichil

b) *hic evidenter aliqua verba omissa sunt a scriba.*

c) *in ms* initiis

d) *in ms* MCCCCLXXXIIII, *quod fieri non potuit, cum Alexander VI ad summi pontificatus apicem tantum anno 1492 ascendit.*

1) *Beatrix Aragonensis († 1508), filia Ferdinandi I, regis Neapolitani, uxor Matthiae Corvini regis Hungariae ab a. 1476; post eius mortem a. 1490, secreto desponsata erat regi Bohemiae Vladislao II Iagellonidi, qui tamen, obtenta corona regni Hungariae, agnoscere illud matrimonium renuebat.*

## *N. 143.*

*Romae, 19.X.1500.*

*Alexander VI pontifex maximus*
*Stanislao Łowęcki, parocho in Boworowo*

*Dispensat cum eo a sacrorum ordinum receptione, ad quod ipse ratione possessionis ecclesiae parochialis in Boworowo obligatus exsistit.*

*Min., ASV, Arm. 40, vol. 1, f. 217r; in f. 217v nota:* R[egistratum] *et data diurna.*

Dilecto filio Stanislao Lovvycuskii[1], clerico Poznaniensis dioecesis.

Dilecte fili, salutem etc. Exponi nobis fecisti, quod tu, cui dum, ([a]ut asseris[a]), de parrochiali ecclesia in Borononо[b]), Gneznensis dioecesis[2], canonice provisum fuit, propter lites, quas ([c]super ea[c]) cum quodam tuo adversario habes, non potes in praesentia sacros ordines, quemadmodum ratione dictae parochialis ecclesiae arctaris, commode suscipere. Nos, te gratioso favore prosequi volentes, tuisque in hac parte supplicationibus inclinati, tibi, ut ratione dictae parochialis ecclesiae, aut alterius cuiuscumque beneficii ecclesiastici curati, seu alias sacros ordines requirentis, praeter pro tempore obtinendi, ad aliquos ex dictis sacris[d] ordinibus ad biennium, a fine anni a die inceptae illius[d] pacificae possessionis respective computandum, te promoveri facere minime tenearis, nec ad id a quoquam coarctari possis, ([e]auctoritate apostolica[e]), tenore praesentium, de speciali gratia indulgemus, proviso quod parochialis ecclesia et aliud beneficium huiusmodi debitis propterea non fraudentur obsequiis et animarum cura in parochiali ecclesia ([f]et alio beneficio praedictis[f]), si qua alibi immi-

net, nullatenus negligatur, sed illarum [necessitates] congrue[g] supportentur, onerantes[h]. Actu Lateranensis Concilii[3] et aliis apostolicis, nec non in provincialibus et synodalibus[h] conciliis editis generalibus et specialibus constitutionibus et decretis, caeterisque contrariis non obstantibus quibuscumque. Datum Romae etc., die 19 Octobris 1500, anno VIIII.

Litterae signatae

([i]D[ominicus] Galettus[i])[4]

a-a) *adscriptum in margine.*
b) *sic in ms.*
c-c) *sublineatum et supra id adscriptum*: illius occasione
d) *suprascriptum.*
e-e) *suprascriptum.*
f-f) *sublineatum.*
g) *adscriptum supra deletum* debite
h) *sic in ms.*
i-i) *alia manu (autographum?)*

1) *Stanislaus Łowęcki, parochus in Boworowo (hodie Baborowo in paroecia Szamotuliensi). De paroecia Boworoviensi una tantum exstat mentio in fontibus anno 1501.*
2) *Boworowo et Szamotuły semper ad dioecesim Posnaniensem pertinebant.*
3) *Canon 13 Concilii Lateranensis III (1179) iubet, ut ad beneficia curata minus idonei non promoveantur.*
4) *Dominicus Galletti, ab a. 1481 scriptor, et dein secretarius pontificius.*

## *N. 144.*

*Romae, 26.IV.1501.*

*Alexander VI pontifex maximus*
*Alberto Tabor, episcopo Vilnensi*

*Gratias agit pro litteris, quibus nuntiabat desiderium Ioannis Ioseph, metropolitae Kioviensis, ad unitatem fidei cum Romana Ecclesia redeundi, et Ioannem Sapieha commendabat, qui ea de re secum tractaturus Romam venit. Mittit ei decretum Concilii Florentini cum requisitione, ut secundum illius tenorem inquirat, an singula dogmata, in quibus Ecclesia Orientalis a Romana discrepat, Rutheni accipere vellent, antequam ad unionem reciperentur. Promittit etiam: 1) se dictum metropolitam in suo officio confirmaturum, si provisioni patriarchae Constantinopolitani renuntiet, 2) baptismum convertitorum non iteraturum, si illius formulam, praevia examinatione, rectam inveniat, 3) facultatem dicto metropolitae largiturum ecclesias muratas aedificandi et personas ad unitatem fidei cum Ecclesia Romanae admittendi, si decreta Concilii Florentini observare velint. Exaltat magnitudinem Ecclesiae Romanae et petit, ut de his omnibus atque de ritibus Ecclesiae Orientalis exacte eum edoceat.*

*Copia, ASV, Arm. 32, vol. 21, f. 44r-46r.*
*— Ed. Theiner VMPL II, p. 280-282, et aliqua fragmenta Kutrzeba-Fijałek KC p. 78. Reed. Welykyj DPU I, p. 175-178.*

Breve de Ruthenis ad episcopum Vilnensem[1].

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem. Magnam nobis laetitiam litterae tuae attulerunt, quibus tuum erga catholicam fidem et hanc Sanctam Sedem zelum ardentissimum et vehemens studium in reducendis ad unitatem Sanctae Romanae Ecclesiae istius Magni Duca-

tus Lithuaniae, et praesertim in metropoli Chyoviensi et Russia habitantibus populis, nobis declaras; eiusque rei conficiendae affirmas non potuisse meliorem occasionem offerri ea, quam nunc nactus es, quandoquidem Iohannes Ioseph[2], quem Chyovien[ses] et Russiae populi ut pastorem et directorem tenent et sequuntur[a], sese tibi offerat pro nobis et Romana Ecclesia veram oboedientiam praestiturum, quod etiam nobiscum per litteras et nuntium[b] suum egit, et alios ex dictis populis, ut id faciant inducturum, iuxta tenorem Sacri Concilii Florentini.

Proinde petis, ut Iohannem Sopeha, dilecti filii nobilis viri Alexandri magni ducis Lithuaniae[3] in cancellaria Ruthenica secretarium et capitaneum[4], super his[c] audire et tibi, quid in hac re agendum sit, respondere velimus.

Commendamus plurimum tuam erga nos et hanc Sanctam Sedem devotionem, quam neque locorum distantia[d], neque perfidorum, quibus circumvallaris, insidiae, neque depravata multorum scismaticorum et haereticorum mens aut potentia[e] impedire potuerunt; quin in te nos et Ro[mana] Ecclesia illud Psalmistae comprobari inveniamus: pro patribus tuis Apostolis nati sunt tibi filii[5], succedentes per tempora episcopi, qui typum Apostolorum gerunt. Apostolicam tu sane curam et diligentiam imitaris, qui tam accurate et tam diligenter animum intendis, ut tanta provincia ad gremium matris suae, Ro[manae] Ecclesiae, revertatur, et sub uno ovili et pastore recipiatur.

Credimus quoque, quod praefatus Iohannes Ioseph, quem litterarum et praecipue sacrarum scientia, gravitate et prudentia praeditum accepimus, Divino Spiritu tactus, ad gremium matris suae, Ro[manae] Ecclesiae, a qua nulla unquam haeresis exordium sumpsit, cuius fides, rogante Domino, nunquam defecit, redire et cum Apostolo Paulo vere praedicare: Unum corpus, unus spiritus, una spes vocationis nostrae, unus Dominus, [44v] una fides, unum baptisma, sicut et unus Deus[6], summo cum desiderio cupiat. Deumque omnipotentem precamur, ut Devotioni Suae zelum pro meritis agnoscat et bonum cordis sui desiderium conservet et augeat.

Verum quoniam in dies videmus, quam plena sit vita mortalis laqueis offensionum, retibus vexationum, quae adversarius noster, gigas venator Nebroth, id est diabolus[7], contra genus humanum tendit, et nobis cautio magna adhibenda est, ut laqueos et retia inimici fortiores in Verbo Domini et sana doctrina dirumpamus et conteramus. Scimus nobis a Domino in personam beati Petri mandatum: Pasce oves meas[8]. Cum eas pascere, ut tenemur, totis conatibus laboremus, curandum nobis est, ut sub uno pastore unum sit ovile, ne extra ovile aberrantes oves, per devia pereant[9]. Prospiciendum nobis est, ne Ecclesiae congregatio constupretur dogmatum varietate, ne haeresibus scindatur, sed virgo incorrupta, unam fidem tenendo, permaneat, et in Christo omnis grex nobis commissus unum corpus sit. Omnia membra nostra aequaliter diligimus, et propterea in singulorum amissione membrorum maximam iacturam facere videremur. Consultum tamen magis iri gregi nobis commisso cognoscimus ovile sanum et immaculatum, prout tenemur, custodire, quam labe aliqua haeresis aut alio morbo infidelitatis pollutas oves admittendo, incolumitatem ovilis nostri corrumpere.

Gratum nobis admodum esset, ut dicti Iohannis Io[seph] et eorum, qui cum eo sentiunt, oboedientiam nomine Romanae Ecclesiae reciperes, et iuxta decreta praefati Concilii Florentini illos admitteres, tum propter salutem animarum suarum, tum quia confidimus hoc pacto alios dictarum provinciarum Chyovien[sis] et Russiae homines ad Ro[manae] Ecclesiae

unitatem redituros. Tamen quia tanta est integritas et sinceritas fidei nostrae, ut illam suscipientibus non sit declinandum in consilio vanitatis et cum iniqua gerentibus non sit introeundum, mittimus tibi praesentibus acclusum sanctum et salubre decretum dicti Concilii Florentini[10)], ut diligenter inquiras, quonam pacto isti, qui oboedientiam Ro[manae] Sedi offerunt, contenta in ipso decreto concilii intelligant, profiteantur [45r] et observent. Accepimus enim a nonnullis, qui de processione Spiritus Sancti, quod ex Patre Filioque procedat, neque in simbolo, neque in divinis officiis eorum professionem aliquam faciant; de sacramento[f)] quoque Eucharistiae, quod in fermentato pane, sed sub indebita et vili forma, et similiter et sanguinem sub alio liquore[g)], quam vini, consecrent, et sub utraque specie per commixtionem panis, id est corporis, et vini, id est sanguinis Christi Domini nostri, iuxta ritus[h)] eorum consecrati etc., pueros communicant; quod nefas[i)] est dicere nobis, relatum est de purgatione etiam ignis purgatorii et suffragiis mortuorum.

Audivimus illos a concilio dissentire: quod Sanctus Petrus a Domino nostro Iesu Christo primatum in universum orbem et supra omnem Ecclesiam ac plenitudinem potestatis ligandi atque solvendi acceperit, illamque in successores suos transtulerit, ac Romanus pro tempore pontifex beati Petri successor et verus Christi vicarius, totius Ecclesiae caput, omnium christianorum pater et doctor exsistat, a praedictis populis pertinaciter negari intelleximus. Quin etiam, cum fidei nostrae sacramenta ad salutem, robur et propagationem in Christo credentium instituta sint, in eisque requirantur forma, materia et minister, attente perspiciet, sub quibus materia, forma et [a] quibus ministris apud istos Chyovienses et Ruthenos sacramenta praedicta fiant, et an celebrantes, aut alio modo utentes sacramentis secundum ritum Ro[manae] Ecclesiae abhorreant, et ab ecclesiis et eorum celebrationibus quasi profanos[j)] et ethnicos excludant, illorum communionem devitent.

Caeterum supplicavit nobis Ioannes Sopeha, secretarius praedictus, quod Iohannem Ioseph praefatum, ut verum archiepiscopum metropolitanum ac primatem iuxta ritum Graecorum, dilecto filio Alexandro, duci Lithuaniae, commendaremus, ac illi facultatem indulgentias concedendi interessentibus divinis officiis, per eum celebrandis, tam Graecis, quam Latinis, concedere dignaremur. Nos libenter desideriis suis annueremus, quandoquidem nobis persuadeamus, ipsum corde sincero ad rectitudinem fidei nostrae conversum, ad unitatem sanctam cum Ro[mana] Ecclesia tendere. [45v] Verum cum patriarcham Constantinopolitanum, sub cuius ditione metropolis Chyoviensis est constituta, apud Romanam Ecclesiam iam quinquaginta annis moram traxisse viderimus, ignoramus, quo pacto ad metropolim istam huc nostro aut dicti patriarchae consensu pervenire potuerit; nec possumus eidem, tamquam metropolitano, de huiusmodi petitionibus morem gerere, nisi provisionem de metropoli praedicta, renuntiata per eum provisione vel praefectione, quam aliunde habuisset, a nobis et Sede Apostolica acceperit.

Petiit etiam idem Iohannes, per nos sibi concedi, quod baptisati secundum ritum Graecorum, venientes ad oboedientiam Ro[manae] Ecclesiae, non debeant rebaptisari. Hoc, si nobis sub qua forma et quibus ministris baptisati fuerint explicabitur, facilius petitioni suae complacere curabimus.

Quod autem etiam postulavit de aedificandis de muro ecclesiis Ruthenorum et de admittendis ad oboedientiam Sedis Apostolicae et Ro[manae] Ecclesiae quibuscumque, qui ritus Graecorum sequi voluerint, si intellexe-

rimus eos decreta Concilii Florentini servare, nec in sacramentis Ecclesiae, aut aliis articulis fidei a Ro[mana] Ecclesia discrepare, cognoscent piam mentem nostram esse, ut excipiamus paterna caritate volentes ad gremium Ro[manae] Ecclesiae redire.

Tua igitur Fraternitas praefatum Iohannem Ioseph et cum eo de fide nostra et Ro[manae] Ecclesiae recte sentientes hortabitur, ut cum videant martyrii beatorum Petri et Pauli fulgorem, quo Ro[mana] Ecclesia illustrata est, ubique collucere, non putent Agnum comedi posse[11], nisi in una domo, Romana et Apostolica Ecclesia, nec extra ipsam Agnum immolari. Qui enim Agnum extra eandem Ecclesiam comedunt, Iudeorum pertinaciam vel haereticorum dogmata sequentes, hi[k] pro Agno draconis carnes, qui datus est in escam populis Ethiopum[12], comedunt. Legant, non fuisse in diluvio salvatos, nisi eos, qui in Arca[l] Noe fuerint, per quam Ecclesia Dei figuratur, quae unica est, et cuius caput est et magistra Romana Ecclesia, Salvatore nostro ita disponente. Illi ergo ad illam confugiant, ad illam, sequentes patres suos in Concilio Florentino congregatos, convertantur, illam venerentur. Nos quoque, qui divina gratia, licet immeriti, Ecclesiae Ro[manae et] universo orbi praesidemus, illos in [46r] visceribus caritatis et omni plenitudine potestatis, a Deo nobis concessae, et per nos et per nuntios nostros, si res ipsa exegerit, istuc destinandos, complectemur.

Et insuper dabis solertem operam, prout in sapientia tua confidimus, quod de praemissis omnibus, et aliis, quibus Ruthenorum ritus a Ro[mana] Ecclesia discrepant, veram notitiam habeas, ita ut nos de illis certiores reddere possis; sic, quod habita relatione tua illarum provinciarum, oves hactenus dispersas, divina gratia suffragante et tua diligentia, ad nostrum et Ro[manae] Ecclesiae ovile reducere valeamus. In quo et a Deo omnipotente, cuius causa agitur, meritas, et a nobis, quas poterimus, gratias expectare tibi licebit. Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die vigesima sexta Aprilis, anno millesimo quingentesimo primo, pontificatus nostri anno nono.

a) *in ms* secuuntur
b) *in ms* nuncium, *et ita etiam postea.*
c) *in ms* hiis
d) *in ms* distancia
e) *in ms* potencia; *similiter quoad alia verba similia.*
f) *in ms* sacramentis
g) *in ms* licore
h) *in ms* rittus, *et ita etiam postea.*
i) *in ms* nephas
j) *in ms* prophanos
k) *in ms* his
l) *in ms* Archa
1) *Albertus Tabor († 1507), episcopus Vilnensis ab a. 1492, unionis Polono-Lithuanicae strenuus promotor.*
2) *Ioseph I Bułgarynowicz († 1503), metropolita Kioviensis annis 1498-1501, a magno duce Alexandro Iagellonide promotus; antea episcopus Smolenscensis.*
3) *Alexander Iagellonides († 1506), regis Casimiri IV filius, 1492-1501 magnus dux Lithuaniae, 1501-1506 rex Poloniae.*
4) *Ioannes Sapieha († 1516/17), cancellarius ducissae Helenae ab a. 1500, postea secretarius regis Alexandri et palatinus Vitebscensis et Podlachiensis.*
5) *paraphrasis Psalmi 44, 17.*
6) *Eph. 4, 4-5.*
7) *Nebroel, daemon apud Hebraeos.*
8) *Ioh. 21, 17.*
9) *Ioh. 10, 16.*
10) *Decretum unionis* Laetentur Coeli, *6.VII.1439 publicatum.*
11) *paraphrasis loci in Exod. 12, 7.*
12) *paraphrasis Ps. 73, 14 (in editione Vulgata tantum).*

## *N. 145.*

*Romae, [28.IV.1501].*

*Alexander VI pontifex maximus*
*Alexandro Iagellonidi, magno duci Lithuaniae*

*Hortatur eum, ut Alberto Tabor, episcopo Vilnensi,* quem pro Regis Aeterni gloria venerari te convenit, *beneficia ecclesiastica in eius dioecesi libere conferre permittat, cum* valde indecorum sit, quod episcopus in dioecesi sua de aliquo ecclesiastico beneficio libere disponere et personis idoneis atque utilibus de illis providere non possit.

*Copia, ASV, Arm. 32, vol. 21, f. 52v-53r.*
*— Ed. Theiner VMPL II, p. 282.*
*Ed. ex originali Fijałek-Semkowicz CDW I, p. 570-571.*

## *N. 146.*

*[Romae, 28.IV.1501].*

*Alexander VI pontifex maximus*
*Valthero de Plettenberg, magistro Militiae Teutonicorum in Livonia*

*Adhortatur eum, ut cum Alexandro, magno duce Lithuaniae, se ad invicem adiuvent, Tartaros, eorum dominia invadentes, debellando.*

*Copia, ASV, Arm. 32, vol. 21, f. 53r.*
*— Ed. Theiner VMPL II, p. 282.*

Alexander papa VI. Dilecto filio Valterio magistro Miliciae Theutonicorum Ierosolimitanorum[1].

Dilecte[a] fili, salutem etc. Cum saepenumero Thartari et alii infideles dominio dilecti filii nobilis viri Alexandri, magni ducis Lithuaniae, finitimi[b], terras et alia loca sua invadant, et incursionibus ac alias multipliciter infestare non cessent, nos, considerantes dominium tuum dominio praefati ducis esse vicinum, et propter propinquitatem huiusmodi te eundem ducem adversus hostes suos plurimum adiuvare, et similiter eundem ducem erga te, dum expedit, idem efficere posse, visum est nobis officii nostri esse, ut te et ducem ipsum, quoad possimus, hortemur in Domino, ut adversus Thartaros et alios infideles praefatos, vobis finitimos, vosque vel alterum vestrum infestantes, mutuam concordiam et amicitiam ac intelligentiam habeatis. Sic enim tuitioni et defensioni status utriusque vestrum facilius consuletis, ac ultra proemium, quod apud Deum consequemini, non parvam[c] vobis gloriam apud mortales comparabitis, ac nobis et huic Sanctae Sedi satisfacietis. Datum [Romae, die XXVIII Aprilis 1501].

a) *in ms* Dilecti
b) *in ms* finittimi, *et sic etiam postea.*
c) *in ms* parwam

1) *Valtherus de Plettenberg († 1535), magnus magister Ordinis Teutonicorum in Livonia annis 1494-1526.*

## *N. 147.*

*Romae, 7.V.1501.*

*Alexander VI pontifex maximus*
*Alexandro Iagellonidi, magno duci Lithuaniae*

*Quod attinet ad ea, quae sibi ipse per litteras et oratores suos de metropolita Kioviensi significavit, nuntiat se voluisse nuntium suum illuc mittere, cum tamen oratoribus eius res nondum matura visa sit, ideo nunc aliquas tantum condiciones ponit, quibus dictum metropolitam in eius officio confirmare et populum Ruthenum ad unitatem fidei recipere paratus esset.*

*Copia, ASV, Arm. 32, vol. 21, f. 48r-49r. Praecedit nota Erasmi Vitellii:* Breve ad magnum ducem Lithuaniae super eodem [*ac in N. 44*] proposito, per dictum Sopyeha transmissum.

*— Ed. Theiner VMPL II, p. 283-284. Reed. Welykyj DPU I, p. 180-182.*

Alexander papa VI. Dilecto filio nobili Alexandro, magno duci Lithuaniae etc.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem. Accepimus litteras tuas in commendationem Iohannis Ioseph, quem Kyovien[ses] et Russiae populi ut pastorem et directorem tenent et sequuntur. Audivimusque quod dilectus filius Erasmus Vittellius[1] et Iohannes Sopyecha, Ruthenus, secretarius tuus, eiusdem Iohannis Ioseph consanguineus et procurator, de optima ipsius mente in materia reductionis suae et populi sibi crediti ad oboedientiam nostram et Apostolicae Sedis reverentiam, iuxta Concilii Florentini definitionem[a], nobis retulerunt, commenda[nte]s plurimum officium tuum et eiusdem Iohannis Ioseph bonam mentem[2].

Affectamur cum summo desiderio, quod oves pascuae Domini nostri Iesu Christi, Eius vicarium recognoscentes, suumque pastorem verum sectantes, salutis viam et ad aeternam beatitudinem iter ingrediantur. Et quoniam huiusmodi reductio iuxta definitionem[a] praedicti Concilii Florentini saepius tentata et, totiens humani generis inimico impediente et zizaniam seminante, interrupta existit, ne per nos videlicet absque bona intelligentia leve aliquid fieret, ut matura omnia et cum plena rerum notitia ac Sedis Apostolicae dignitate tractarentur, cogitaveramus aliquem nostrum nuntium istuc destinare, virum doctrina, experientia[b] et moribus praeditum[c], qui de consilio et sententia nostra pro eiusdem Iohannis Ioseph et totius Rutheni populi salute tecum ageret. Verum quoniam orator tuus super hac nuntii nostri destinatione differendum esse nos rogavit, ne propterea dux Moszkoviae[d] belli contra te gerendi aliquid [...][e] censeretur, saltem quoad Nobilitas Tua, de his[f] omnibus edocta, quid sanioris consilii crederet, nobis per tuas litteras intimaret. Oratoris nunc consilium admittentes, a praedicta mittendi nuntii deliberatione abstinebimus, quousque nobis commodum ad id tempus, facta etiam per te bona rerum dispositione, insinues.

Ne interea tamen aliqua[m] expertae salutis viam et ipsi Iohanni Ioseph et populis praedictis praecludere videamur, tibi, fili praedilecte, significamus, ut et per te, de cuius fide et sancta intentione plurimum in Domino confidimus, ad Iohannem Ioseph praedictum et reliquum populum Ruthenum admonitio et consolatio nostra perveniat, quod ipsius Iohannis Ioseph reductionem et oboedientiam Sanctae Ro[manae] Eccclesiae ac

nobis per suum procuratorem praestitam gratissimam habuimus et habemus, orantes [48v] Deum omnipotentem, qui in eo ipsum confirmet et faciat perseverare, quod iam coepit operari, ne aliqua sinistra suggestione circumvectus, ab incoepto recto tramite possit dimoveri, atque id maxime sua fideli ac continuata ac publica constantia et perseverantia, cum opportunum fuerit, licebit experiri.

Verum de confirmatione auctoritatis et dignitatis suae et Apostolicae Sedis gratia illi impendenda in indulgentiis per eum concedendis et in aedificationibus ecclesiarum Ruthenarum de muro, in litteris Latinis et aliis, per procuratorem suum expositis, duximus mature cogitandum, quod probe intellexerimus modum suae perfectionis. Cum enim Constantinopolitanus patriarcha vere nullus alius sit hodie, quam venerabilis frater noster Iohannes episcopus Portuensis, cardinalis Sancti Angeli[3)], qui post Ruthenum, Nicenum et Cretensem praelatos[4)], huic dignitati iure praefectus est, nescitur, quonam pacto promotio facta per illum Ioachimum haereticum, constitutum violenta manu in sede Constantinopolitana per tyrannum Turcorum[5)], a nobis in hac Sanctissima Sede debeat quoquomodo approbari. Si autem ipse Iohannes Ioseph paratus est recipere decretum Concilii Florentini, cuius bul[l]am Excellentiae Tuae nunc mittimus, et alias oecumenicas[g)] synodos admittere, et in nullo a catholica fide deviare, secundum Graecorum ritum[h)], quem Latina et universalis Ecclesia in conciliis universalibus permittit, cuique adhaesit Ecclesia Ruthena, contentabimur ab omnibus praeteritis offensionibus et maculis praedictum Iohannem Ioseph[i)] absolvere, et eum in dignitate metropolitica per nos confirmare, aut per dictum Iohannem[j)] [patriarcham] Constantinopolitanum confirmari facere, dum[modo] promittat et, quantum in se fuerit, cooperetur et enitatur, quod clerus et populus Ruthenus et Graecus, sibi oboediens, decreta Concilii Florentini cum effectu suscipiat et omnibus erroribus, ab Ecclesia universali in dicto concilio et aliis ([k)]oecumenicis damnatis[k)]), abrenuntiet et perpetuo abrenuntiare proponat.

Haec enim est vera oboedientia, veneratio et adhaesio Sanctae Ro[manae] Ecclesiae, apud Deum et homines grata et accepta, iuxta Evangelium Matthaei et prophetiam Esaiae, quae non solum labiis, sed corde et opere praestatur et exhibetur[6)]. Huius ergo reali[s] adhaesionis [signum est oboedientia][l)] per eundem primatem[m)], quantum in eo fuerit, Sanctae Ro[manae] Ecclesiae et nobis praestita, et [fidem] dare omnibus articulis de processione Spiritus Sancti a Patre [49r] et Filio, de unitate Ecclesiae in oboedientia primatus apostolici et throni Romanae Sedis, de purgatorio et proemio, ac[n)]proemiis atque[n)] poenis bonorum et malorum post mortem.

His[o)] omnibus canonibus, ut praediximus, intellectis et acceptatis, quod baptisati in tertia persona sub ritu Graecorum, praemisso nullo alio canonico obstaculo impediente, non debeant rebaptisari; et quod Eucharistiae sacramentum in fermentato [pane] confici et sub utraque specie et[iam] saecularibus per eos in suis ecclesiis exhiberi possit; et quod sacerdotes Graeci uxores ante sacros ordines susceptas possint retinere permittimus. Dum[modo] tamen in his[o)] et aliis articulis ritibus Latinae Ecclesiae, supra petram Christum et Petri Apostoli eruditionem et fidem, pro qua Dominus, ne deficeret, oravit, fundatae, minime detrahere praesumant, verum unitate[p)] fidei et Ecclesiae in omnibus membris Christi praesupposita, in ritibus et caeremoniis non substantialibus licitum sit mores patrios eiusdem Ecclesiae servare.

Haec omnia enim cum eodem Iohanne Ioseph communicabis, ascito etiam tecum venerabili fratre episcopo Vilnensi[7)], et de omnibus, quae

tractaveris et concludes, facies nos certiores, ut iuxta informationem tuam vel de aliquo nuntio mittendo cum plena auctoritate nostra ad integram reductionem admittendam, vel de bul[l]is et facultatibus praedictis in persona[m] praefati episcopi Vilnensis, prout melius expedire videbitur, provideamus. Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die VII Maii MCCCCCI, pontificatus nostri anno nono.

a) *in ms* diffinicionem, *et ita etiam postea.*

b) *in ms* experiencia, *et ita in omnibus aliis casibus, ubi* ti *occurrit.*

c) *in ms* proditum

d) *sic in ms.*

e) *hic evidenter aliquid a scriba omissum est.*

f) *in ms* hiis

g) *in ma* ycomenicas

h) *in ms* rittum, *et ita etiam in aliis casibus.*

i) *in ms* Iozeph

j) *in ms* Ioseph

k-k) *in ms* ycomenicis dampnatis

l) *in ms* et oboediencia

m) *sequitur in ms* et nos

n-n) *suprascriptum*

o) Hiis *in ms.*

p) *in ms* imitatae

1) *Erasmus Ciołek († 1522), regêns cancellariae magni ducis Alexandri, praepostus Vilnensis, postea (1503) episcopus Plocensis.*

2) *cfr N. 144.*

3) *Ioannes Michiel († 1503), Venetus, 1468 S.R.E. cardinalis, 1492 episcopus Portuensis et Sanctae Rufinae; patriarcha Constantinopolitanus ab a. 1474.*

4) *scilicet post Isidorum, S.R.E. cardinalem dictum Ruthenum († 1464), patriarcham Constantinopolitanum ab a. 1455, Bessarionem, S.R.E. cardinalem dictum Nicaenum († 1472), patriarcham Constantinopolitanum annis 1464-1472, et Hieronymum Lando († 1493), archiepiscopum Cretensem, patriarcham Constantinopolitanum annis 1472-1474.*

5) *Ioachim I, patriarcha Constantinopolitanus annis 1498-1501.*

6) *cfr Matth. 15, 8 et Is. 92, 13.*

7) *Albertus Tabor.*

## *N. 148.*

*Romae, 10.V.1501.*

*Alexander VI pontifex maximus*
*Gregorio de Loszko*

*Cum ipse, a Vasiano, episcopo Vladimiriensi, unionem cum Sede Apostolica non habente, olim sacerdotio auctus, nunc ad gremium Ecclesiae Romanae redire cupiat, ideo ab omnibus poenis et irregularitatibus eum absolvit, et, confessione sacramentali praemissa, ad omnes ordines sacros a quocumque episcopo, in Romana Curia residente, se promoveri permittit.*

*Copia, ASV, Arm. 32, vol. 21, f. 49r-50r.*

*— Ed. Theiner VMPL II, p. 284. Reed. Welykyj DPU I, p. 182-183.*

Alexander papa Sextus. Dilecto filio Gregorio de Loszko[1], Kyoviensis dioecesis.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem. Exponi nobis fecisti, quod olim tu, qui Ruthenus es ac ex legitimo[a] matrimonio ex sacerdote, [49v] iuxta morem Graecorum, genitus et in tertia persona baptizatus fuisti, per quendam Vasianum[2], episcopum Wladimiriensem, quem rite in episcopum promotum et consecratum esse credebas, ecclesia Kyoviensi

tunc pastore carente[3]), absque aliquibus dimissorialibus et antequam[b]) confirmationis sacramentum recepisses, ad omnes, etiam sacros et presbyteratus, ordines promotus fuisti, et in huiusmodi ordinibus, etiam in altaris ministerio, ministrasti, missas et alia officia celebrando et ecclesiastica sacramenta ministrando.

Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, a nonnullis asseratur praefatum Vasianum in episcopum promotum non fuisse, seu ad id facultatem a Sede Apostolica non habuisse, sed more Graecorum illarum partium, per[c]) tunc gerentem se pro patriarcha Constantinopolitano in episcopum promotum, seu administratorem deputatum fuisse, et propterea dubites te ad huiusmodi ordines rite promotum non esse, tuque, divina inspri- rante tibi gratia, ad verae cognitionis lumen et Sanctae Ro[manae] Ecclesiae unitatem conversus, de praemissis ab intimis doleas, intendasque in posterum iuxta ipsius Ro[manae] Ecclesiae veram fidem et sacrosanctas ordinationes vivere, nobis de remedio humiliter supplicasti, nos, attendentes, quod ipsa pientissima mater Ecclesia ad eam cum humilitate redeuntibus gremium aperire consuevit, volentesque te, de cuius probitate et meritis alias apud nos fidedigna testimonia perhibentur, horum intuitu favore prosequi gratioso, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, te ab excessibus huiusmodi, ac excommunicationis et quibusvis aliis ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, si quas praemissorum occasione quomodolibet incurristi, tenore praesentium apostolica auctoritate absolvimus, ac tecum super irregularitate, si quam, etiam sententiis, censuris et poenis huiusmodi ligatus, missas et alia divina officia, non tamen in contemptum clavium, celebrando contraxisti, dispensamus; quodque ad omnes ordines[d]) rite promoveri, et in illis, postquam sic promotus fueris, in altaris ministerio ministrare, necnon confirmationis sacramentum prius, et deinde ordines huiusmodi a quocumque malueris catholico antistite, gratiam et communionem Sedis Apostolicae habente et in Ro[mana] Curia residente, uno et eodem die Dominicae, alias festivo, etiam extra tempora a iure statuta, suscipere, libere et licite valeas [50r], auctoritate et tenore praedictis similiter dispensamus tibique indulgemus, ac eidem antistiti ad hoc facultatem concedimus, abolentes omnem inhabilitatis et infamiae maculam, seu notam, per te praedicta occasione contractam. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, quod confessorem idoneum eligas, qui tibi super his[e]) poenitentiam iniungat salutarem, quam adimplere omnino tenearis. Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die X Maii MCCCCCI, pontificatus nostri anno nono.

a) *in ms* legittimo

b) *in ms* augustum

c) *in ms* pro

d) *in ms sequitur* ordinatos

e) *in ms* hiis

1) *de isto Gregorio scribit ipse Erasmus Vitellius in commentario, quem copiae huius brevis praemisit*: Idem Sopyeha [*orator magni ducis Alexandri, de quo in N. 144*] habuit secum presbyterum Ruthenorum, quem pontifex iussit Romae in ceremoniis missae examinari, ita ut totam missam integre celebrarit apud Sanctum Petrum, in praesentia multorum episcoporum Latinorum et Graecorum, et relatione facta in publico concistorio, iussit pontifex eundem Ruthenorum presbyterum denuo consecrari ab episcopo Latino, prout ex litteris infrascriptis clarius intelliges.

2) *Vasianus (Vasjan) fuit episcopus Pinscensis et Vladimiriensis.*

3) *post obitum Macarii a. 1497, sedes metropolitana Kioviensis vacabat usque ad nominationem Iosephi I, 30.V.1498, et a dicto Vasiano regebatur.*

N. 149.

[Romae, V-VI.1501].

*Alexander VI pontifex maximus*
*Alexandro Iagellonidi, magno duci Lithuaniae*

*Supplicationibus eius morem gerens, absolvit a censuris ecclesiasticis omnes milites, qui ipso duce bellum adversus infideles gerant.*

*Copia, ASV, Arm. 32, vol. 21, f.60v. Praecedit nota Erasmi Vitellii*: Breve de censuris curiensium tempore belli.

Alexander papa VI. Nobili viro Alexandro magno duci Lithuaniae.

Dilecte fili, salutem etc. Cum, sicut nobis nuper exponi fecisti, contingat saepenumero te habere de necessitate adversus infideles gerere bellum, et tecum in dicto bello aliquos esse, qui tam ordinaria, quam apostolica [sententia] aliquibus censuris ecclesiasticis sint ligati, nos, volentes animarum saluti paterna caritate consulere, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, censuras praedictas pro personis, quae illis innodatae erunt, dummodo de parendo mandatis Ecclesiae idoneam praestent cautionem, ipsis in dictis bellis existentibus et servientibus, auctoritate apostolica tenore praesentium suspendimus. Non obstantibus praemissis ac constitutionibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum [mense Maio vel Iunio 1501][a].

a) *datationem hanc proposuit Fijałek KC p. 86.*

N. 150.

Romae, 20.V.1501.

*Alexander VI pontifex maximus*
*Erasmo Vitellio, praeposito Vilnensi*

*Dat ei facultatem se ad ordines sacros promovendi a quocumque episcopo, unionem cum Sede Apostolica habente, et concedit indulgentias omnibus, qui celebrationi eius primae missae assistant.*

*Copia, ASV, Arm. 32, vol. 21, f. 60v-61r.*
*— Ed. Theiner VMPL II, p. 287-288.*

Alexander papa VI. Dilecto filio magistro Erasmo, praeposito Vilnensi[1].

Dilecte fili, salutem etc. Obsequia Tuae Devotionis et personae tuae merita non indigne merentur, ut eandem personam tuam grato prosequentes affectu, illa tibi favorabiliter concedamus, quae ad christifidelium spiritualem consolationem et animarum salutem cedere dignoscuntur. Hinc est, quod nos te, qui dilecti filii nobilis viri Alexandri, magni ducis Lithuaniae, apud nos orator et eiusdem magni ducis supremus secretarius existis,

praemissorum intuitu, gratioso favore prosequi volentes, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, ut a quocumque malueris catholico antistite, gratiam et communionem Apostolicae Sedis habente, in Ro[mana] Cu[ria] vel extra eam existente, aliquibus diebus, vel tribus diebus, aut etiam unico die festivis vel festivo, etiam extra tempora a iure statuta, ad omnes, etiam sacros et presbyteratus, ordines alias rite[a] promoveri valeas, ac eidem antistiti, ut ordines huiusmodi, etiam unico die, ministrare [61r] et te ad illos promovere possit, apostolicis et in provincialibus [*sequuntur clausulae*] constitutionibus non obstantibus, auctoritate apostolica tenore praesentium de specialis dono gratiae concedimus et indulgemus.

[*Insuper concedit indulgentiam*] omnibus christifidelibus utriusque sexus, vere poenitentibus et confessis, qui celebrationi primae missae, quam et in partibus Poloniae vel Lithuaniae solemniter cum cantu, etiam extra ecclesiam in aliquo honesto et ornato loco, celebrare contigerit, devote interfuerint, et si in ecclesia celebraveris, propter multitudinem in illam ingredi nequientes, extra ecclesiam ipsam constituti fuerint, dummodo causa indulgentiae huiusmodi ibidem applicuerint, XXV annos et totidem quadragenas de iniunctis eis poenitentiis in Domino relaxamus; praesentibus quoad huiusmodi relaxationem pro una die et durante celebratione divinorum dumtaxat valituris. Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XX Maii MCCCCCI, pontificatus anno nono.

a) *in ms* ritte
1) *de Erasmo Vitellio cfr N. 147.*

## *N. 151.*

*[Romae, 8.VI.1501].*

*Alexander VI pontifex maximus*
*Alexandro Iagellonidi, magno duci Lithuaniae*

*Pro oboedientia sibi ab ipso per Erasmum Vitellium praestita gratias agit et eundem oratorem laudibus extollit atque commendat.*

*Copia, ASV, Arm. 32, vol. 21, f. 57v. Praemittitur nota E. Vitellii*: Breve de oboedientia praestita per eundem oratorem.
*— Ed. Theiner VMPL II, p. 288.*

Alexander papa VI. Dilecto filio nobili viro Alexandro, magno duci Lithuaniae.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem. Cum superioribus diebus dilectus filius Erasmus Vitellius, praepositus ecclesiae Vilnensis, per Nobilitatem Tuam pro praestanda nobis et Sedi Apostolicae oboedientia orator destinatus, ad praesentiam nostram se contulisset, nos attendentes tuam erga nos et hanc Sanctam Sedem Apostolicam fidem et devotionem singularem, praefatum oratorem tuum benigne accepimus, sibique in concistorio nostro, in praesentia venerabilium fratrum nostrorum S.R.E. cardinalium et quamplurium praelatorum, condignam dedimus audien-

tiam, in qua non minus elegantem, quam gravem habuit orationem[1]), ac satis ample eiusdem Nobilitatis Tuae fidem et devotionem, quibus nos et Romanam reveretur Ecclesiam, declara[vi]t, ac cum omni reverentia, eiusdem Nobilitatis nomine, nobis et huic Sanctae Sedi praestitit oboedientiam, quam laeto et grato animo, una cum eisdem fratribus cardinalibus suscepimus, ubi statum etiam tuum dignissimum, nobis tunc etiam plenius cognitum et acceptum intelleximus; nec potuimus, nisi plurimum Tuam Nobilitatem Domino commendare, sperantes illam [se] in dies et erga nos et hanc Sanctam Sedem magis devotam et promptam pro sua bonitate exhibituram, quemadmodum etiam nos in omnibus, quae honori et amplitudini suis cedere noverimus, quantum cum Deo poterimus, promptos inveniet.

Audivimus deinde saepius praefatum oratorem seorsim et quae potuimus negotia, per eum petita, libenter, ut votis Nobilitatis Tuae satisfaceremus, expedivimus. Et quia praefatus orator est persona benemerita et nobis, ob doctrinam suam eiusque virtutes, non parum grata et accepta, ut illum aliquo honore pro meritis suis prosequeremur, ipsum, etiam intuitu Tuae Nobilitatis, die qua praestitit oboedientiam in eodem concistorio nostro, publice in nostrum et Apostolicae Sedis protonotarium motu proprio recepimus, sibique habitum et insignia protonotariatus, coram nobis et praefatis cardinalibus, fecimus exhiberi; quem eidem Nobilitati Tuae plurimum commendamus. Datum [Romae, die 8 Iunii 1501].

1) *orationem hanc, in consistorio die 31.III.1501 habitam, ed. Theiner VMPL II, p. 277-280.*

## *N. 152.*

*[Romae, 8.VI.1501].*

*Alexander VI pontifex maximus*
*Alexandro Iagellonidi, magno duci Lithuaniae*

*Adhortatur eum, ut Helenam, ducis Moscoviae filiam, uxorem suam, stipulationibus matrimonialibus circa eius fidei Graecae professionem minime validis, ad accipiendam Romanam oboedientiam inducat, et, si ipsa nollet, eam a se amoveat.*

*Copia, ASV, Arm. 32, vol. 21, f. 58r-v. Praemittitur nota Vitellii*: Breve de ducissa et Ruthenis.

*— Ed. Theiner VMPL II, p. 288-289. Reed. Welykyj DPU I, p. 183-185.*

Alexander papa VI. Dilecto filio nobili viro Alexandro, magno duci Lithuaniae.

Dilecte fili, salutem etc. Ex relatione dilecti filii magistri Erasmi Vitellii, praepositi Vilnensis, notarii[a]) nostri, tuique apud nos oratoris, intelleximus, quae Nobilitatis Tuae nomine per eum nobis exposita fuerunt, quibus cognovimus tuum bonum zelum summamque pietatem erga nos Sanctamque hanc Sedem Apostolicam ac universam religionem christianam, cum

populos nonnullos ex tibi subditis, ut relicta scismatica Ruthenorum pravitate, orthodoxam fidem amplecti et sequi velint, inducere studeas.

Gaudemus profecto mirum in modum ac non possumus, nisi magnopere bonam hanc tuam sanctamque mentem, utpote ipsorum populorum tuorum animarum unicum saluberrimumque remedium, comprobare et commendare. In quo salutifero proposito ut perseverare velis, quemadmodum pro prudentia et bonitate tua te facturum minime dubitamus, quantum possumus, iterum atque iterum enixe et hortamur et oneramus. Nos etiam nonnulla, quae ad huiusmodi unionem procurandam necessario examinanda duximus, per litteras nostras superioribus diebus venerabili fratri Alberto, episcopo Vilnensi, significavimus[1], ut etiam Nobilitas Tua per litteras nostras perspicere potuit[2], atque ea in re conficienda omni conatu et studio, habita relatione praefati episcopi Vilnensis, intendere decrevimus.

Declaravit praeterea nobis idem orator tuus, quomodo cum nobilem Helenam in uxorem tuam acciperes per medium oratorum tuorum[3], patri eiusdem inter caetera pollicitus es, quod etiam iuramento forte dictorum oratorum sub nomine tuo confirmatum exstitit, numquam eandem compulsurum ad ritum[b] Ro[manae] Ecclesiae suscipiendum, sed si sponte sua ad eandem Ro[manam] Ecclesiam venire vellet, libertati suae in hac [re] eam dimitteres. Quae Tua Nobilitas, quamvis perniciosa satis et iuri contraria fuerint, per quinquennium observare curavit, eam semper honeste tractando, numquam tamen illam ad ritum Romanum observandum compellendo. Nihilominus[c] illa, ([d]ab aliquibus[d]) ritus Romani hominibus saecularibus et religiosis, salutiferis exhortationibus monita, et ut se Tuae Nobilitati in ritus Ro[manae] Ecclesiae observantia pro maiori [58v] caritate et dilectione conformasset, non parum rogata, difficillimam se in tali salutis suae opere semper praestitit et inexorabilem, ita ut iam pauca Tuae Nobilitati de eius conversione spes relinquatur, et quod detestandos errores Ruthenorum abiurare et Ro[manam] Ecclesiam sequi velit. Quare nos consulis, quid cum illa pro mutua salute animarum vestrarum tibi faciendum censeamus.

Laudamus summopere tuam erga nos et hanc Sanctam Sedem devotionem et reverentiam, quod ad pastorem communem, mutuae saluti tuae et uxoris prospiciens[e], reverenter confugiendum duxisti, quod ut citius fecisses optavissemus. Simul etiam plurimum commendamus, quod in hoc tam pio[f] erga uxorem officio non defueris, quo eam in viam salutis dirigas. Facis[g] enim, quod optimi mariti pietati in coniugem convenit, dum te ostendis non minus animae suae salutem, quam coniugalem, [ut] deceat, caritatem omni studio curare.

Itaque volumus, teque oneramus, ut non obstantibus promissionibus et iuramentis praedictis, quibus te nullatenus teneri tenore praesentium declaramus, denuo tentes ac ea omnia agas, quae tibi necessaria videbuntur, quo eadem uxor tua, relicta pessima Ruthenorum secta, tandem resipiscat et sanctam christianam religionem agnoscat et observet. Quae si sanam mentem induere rursus recusabit, atque eius pertinacia omnino divelli nequiverit, committimus praefato episcopo Vilnensi per breve nostrum, quod cum exemplo eiusdem hic alligatum habebis[4], ut eandem Helenam inducat, quibus poterit suasionibus[h], ac moneat et, si opus fuerit, per censuras ecclesiasticas et alia iuris remedia cogat et compellat, ut abiuratis erroribus suis, ad unitatem fidei catholicae[i] veniat. Quae[j] si in pertinacia sua, paternis eius monitionibus contemptis, perstiterit[k], eandem Helenam a cohabitatione thori tui separet et aliis maritalibus obsequiis privet ac penitus a te dimoveat.

Tuae igitur partes erunt in eo fervore, quem concepisti, permanere, ac animae tuae salutem uxoris deliciis et amori anteponere, illamque Ruthenorum maculis, quasi lepra quadam, infectam, eaque curari recusantem, abs te ad mandatum dicti episcopi reiicere. Quod si feceris, confidere debes in Domino, quod te ex molestiis et vexationibus, quibus circumvallaris, eripiet et in portum salutis perducet. Insuper tibi persuadeas volumus, nos Sanctamque hanc Sedem Apostolicam dignitatem et amplitudinem tuam omni tempore propensissimo animo curaturos. Datum etc [Romae, die 8 Iunii 1501].

a) *sic in ms, debebat verisimiliter esse*: protonotarii *(cfr N. 151)*.

b) *in ms* rittum, *et sic etiam postea.*

c) *in ms* Nichilominus

d-d) *in ms sequitur idem repetitum et expunctum.*

e) *in ms* prospicias

f) *in ms* piio

g) *in ms* facies

h) *in ms* swasionibus

i) *in ms* katholicae

j) *in ms* qui

k) *in ms* praestiterit

1) *cfr N. 144.*

2) *cfr N. 147.*

3) *Helena († 1513), filia Ioannis III, ducis Moscoviae, fuit desponsata magno duci Alexandro 18.II.1495 sub conditionibus, de quibus supra.*

4) *cfr N. 153.*

## *N. 153.*

*Alexander VI pontifex maximus*
*Alberto Tabor, episcopo Vilnensi*

*[Romae, 8.VI.1501].*

*Mandat ei, ut Helenam, uxorem magni ducis Alexandri, suasionibus suis ad amplectendam Ecclesiam Romanam inducat, et, si in errore suo persistere vellet, maritum suum a toro et cohabitatione cum ea separet.*

*Copia, ASV, Arm. 32, vol. 21, f. 59r-v. Praemittitur nota Vitellii*: Breve de ducissa super eadem [*ac in N. 152*] materia.
— *Ed. Theiner VMPL II, p. 289-290. Reed. Welykyj DPU I, p. 185-186.*

Alexander papa VI. Venerabili fratri Alberto, episcopo Vilnensi.
Venerabilis frater, salutem etc. Dilectus filius magister Erasmus Vitellius, praepositus ecclesiae tuae Vilnensis ac notarius[a] noster et dilecti filii nobilis viri Alexandri, magni ducis Lithuaniae, apud nos orator, ipsius Alexandri ducis nomine nobis exposuit a pluribus catholicis et gravibus viris fuisse tentatum[b], ut nobilem Helenam, ipsius uxorem, Ruthenorum pravitate relicta, ad orthodoxam fidem amplectendam inducerent; ad quod nullis unquam rationibus adduci potuit. Nos animadvertentes magnum, manifestum et evidens periculum, dum ipsa Helena hac eius obstinatione non modo animam suam, verum etiam ipsius ducis mariti et aliorum, cum quibus eam versari contingit, praecipitet, cum pro pastorali officio intersit nostram huic tam detestando morbo medelam afferre, Circumspectioni

Tuae tenore praesentium iniungimus, ut dictam Helenam, quibus poteris suasionibus[c] horteris atque praemoneas, quod relicta Ruthenorum secta, religionem christianam amplectatur et sincere observet.

Quod, si a pertinancia sua (quod tamen nobis minime persuademus) amoveri non poterit, eidem Circumspectioni Tuae committimus et mandamus, quatenus ipsa vocata et aliis, qui fuerint vocandi, summarie, simpliciter et de pleno, sine strepitu et figura iudicii procedendo, ex officio etiam nemine instante, quomodo dicta Helena de fide catholica[d] sentiat, et in quibus a Romanae Ecclesiae catholicis institutis et ritibus[e] discrepet et Ruthenorum errores sequatur, te diligenter et per eiusdem Helenae et aliorum testium examinationem informes; et si illam a fide, quam Ro[mana] Ecclesia tenet, et definitionibus[f] sacri Concilii Florentini, sub Eugenio Quarto, praedecessore nostro, inter Latinos et Graecos concordatis, alienam a[c] Ruthenorum erroribus implicatam inveneris, eandem ad agnoscendam, ut praefertur, fidem catholicam et Ruthenorum errores abiurandos, per censuras ecclesiasticas et alia iuris remedia, etiam cum invocatione, si opus fuerit, brachii saecularis, cogas et compellas.

Quae si contumaciter in eisdem erroribus persistere voluerit, nec se emendare cum effectu parata fuerit, [59v] pronunties, definies et declares, citra tamen praeiudicium vinculi matrimonialis inter eos contracti, Alexandrum praefatum ducem ad cohabitandum cum ea et ad alia maritalia officia obsequiaque eidem praestanda minime teneri, thorumque, cohabitationem, omne consortium coniugale inter praefatos Alexandrum et Helenam separes[g] et separata[h] de caetero fore decernas, concedens licentiam eidem Alexandro ipsam Helenam auctoritate nostra apostolica ex lecto, domo et omni maritali consortio penitus excludendi, illamque pro meritis errorum suorum [remittendi], etiam dotem et omnia alia bona eiusdem confiscata declarando, punias, prout iustitia suadebit, cum potestate compellendi quoscumque testes et exequendi quidquid per te ordinatum fuerit, tam contra eandem Helenam, quam contra quoscumque alios contradictores et rebelles, sub censuris et aliis remediis praemissis.

Non obstantibus quibusvis promissionibus, etiam iuramento firmatis, quibus forsan praefatum Alexandrum ducem promisisse et se obligasse diceretur, quod numquam compelleret praefatam Helenam ad ritum Ro[manae] Ecclesiae suscipiendum, [et] quod si sponte sua ad eandem Ro[manam] Ecclesiam venire vellet, libertati suae eam dimittere; quibus eundem nullatenus teneri, tenore praesentium declaramus; et aliis contrariis quibuscumque. Datum etc [Romae, die 8 Iunii 1501].

a) *vel potius* protonotarius

b) *in ms* temptatum

c) *in ms* swasionibus

d) *in ms* katholica, *et sic etiam postea.*

e) *in ms* rittibus, *et sic etiam postea.*

f) *in ms* diffinicionibus, *et sic postea.*

g) *in ms* seperes

h) *in ms* seperata

*N. 154.*

*Romae, 26.XI.[1501].*

*Alexander VI pontifex maximus*
*Friderico Iagellonidi, cardinali et archiepiscopo Gnesnensi*

*Cum magnus dux Alexander ad regni Poloniae apicem ascensus sit et minime conveniat, ut ipsius uxor Helena tamquam regina catholicam*

*fidem non profiteatur, ideo mandat, ut ei persuadeat, etiam poenas comminando, quo ad Ecclesiam Romanam se convertat.*

*Copia, ASV, Arm. 32, vol. 21, f. 59v-60r. Praemittitur nota Vitellii:* Breve ad cardinalem Poloniae super eodem *[ac in N. 152-153]* negotio ducissae.

*— Ed. Theiner VMPL II, p. 290. Reed. Welykyj DPU I, p. 188-189.*

*[Repetit illa, quae de "pertinacia" ducissae Helenae illi Erasmus Vitellius rettulit et quae ipse in hac re episcopo Vilnensi scripsit].* Verum postea quam idem Alexander, immortalis et clementissimi Dei, per quem reges regnant, providentia ad Poloniae regnum promotus est[1]), onere nunc longe graviori humeros nostros premi sentimus providendi, quod qui etiam divino munere tot provinciis, tot populis, tot subditis[a]) christianae religionis praefectus est, uxorem quoque habeat, quae christianos mores et Sanctae Ro[manae] Ecclesiae dogmata integre audiat et sincero animo sequatur. Itaque nihil intemptatum relinquere volentes, ut illa tandem resipiscat ac summum et unicum catholicae fidei bonum agnoscat, Circumspectionem Tuam hortamur, ut carissimum in Christo filium nostrum regem praefatum, fratrem germanum suum, monere velit et in Domino hortari, ut Helenam praefatam, coniugio sibi iunctam, adducere nitatur, quod secum in catholica[b]) fide et christiana religione moribusque conveniat.

Ac insuper omni solertia et diligentia Circumspectio Tua studeat eam alloqui et in salutis viam dirigere, adhibendo quascumque suasiones[c]), hortationes et monitiones, quas ad eam excitandam eiusque errores corrigendos necessarias esse duxerit. Quam si demum agnoscet Ruthenorum pravitatem abiurare[d]) nolle et fidem catholicam perfecte sequi ac sincere[e]) colere et observare, tunc aperte illi declarabit nos permissuros, quod contra eam procedatur iuxta iuris formam, castigeturque sicuti eius errorum pertinaciae convenit. ([f]Quippe summa esset Ro[manae] Ecclesiae indignitas[f]) et obprobrium ubique ingenti detestationi execrandum, ut quae christianum nomen et catholicas institutiones abhorret et fugit, tam insignis potentisque regni regina dicatur. Datum Romae, XXVI Novembris [1501].

a) *in ms* subditorum

b) *in ms* katholica, *et sic etiam postea.*

c) *in ms* swasiones

d) *in ms* abiuratur

e) *adscriptum in margine.*

f-f) *sublineatum.*

1) *post mortem regis Ioannis Alberti, qui 17.VI.1501 extremum diem obiit.*

# APPENDIX

## BULLAE ROMANORUM PONTIFICUM
## AD POLONIAM SPECTANTES
## QUAE IN COPIARIIS BREVIUM REPERIUNTUR
## ET NONDUM EDITAE EXSTANT

## A. 1.

*Romae, [19.XI.1423].*

*Martinus V pontifex maximus*
*Alberto Jastrzębiec, archiepiscopo Gnesnensi*

*Gratias agit pro litteris, quibus acta in synodo provinciali Lanciciensi adversus Hussitas refert; dolet de inertia regis Vladislai et magni ducis Vitoldi-Alexandri in eiusmodi haereticis debellandis, censurasque ecclesiasticas ipsis comminatur, nisi Sigismundum Korybutowicz e Bohemia revocent; hortatur eum, ut operam suam suorumque suffraganeorum hac in re apud regem interponat.*

*Copia saec. XVII: ASV, Arm. 39, vol. 5, f. 18v.-19v; aliae copiae eiusdem saeculi (peiores) ibid., vol. 4, f. 86v-87v et vol. 7A, f. 26r-v.*

Venerabili fratri N., archiepiscopo Gneznensi[1], salutem. Grata fuerunt nobis, quae tu una cum suffraganeis tuis scripsisti de provinciali vestro concilio Lancitiae celebrato[2] et de remediis contra insurgentem haeresim per vos devote et sapienter appositis. Sed super omnia gratum esset, si carissimus in Christo filius noster Wladislaus, Poloniae rex illustris, et dilectus filius nobilis vir Alexander, Lithuaniae dux[3], id facerent, quod scripsistis, ut videlicet non solum abstinerent a subsidio haereticorum, et Sigismundum, eorum nepotem, revocarent[4], sed etiam una cum aliis fidelibus principibus insurgerent contra eosdem haereticos, sicut vobis, ut scribitis, promittebant. Haec esset vera et certa via ad eorum sinceram[a] voluntatem ostendendam in populo christiano, qui admiratur et dolet, quod tanto tempore praedictum Sigismundum in subsidio haereticorum tenuerunt; et contra nos etiam increpationes et quaerelae multae sunt factae, quod nimia benevolentia[b] erga eos, sine animadversione condigna, talia fieri in praeiudicium fidei catholicae, tanto tempore toleremus.

Sed dudum impletae sunt aures nostrae huiusmodi promissionibus a servitoribus et benevolis[c] praefatorum regis et ducis, quod primo Sigismundus in Bohemiam missus esset pro reductione haereticorum; deinde, cum de ista reductione nil fieret, quod ipse continuo revocaretur. Verum cum videamus eundem non revocari, sed persistere et immorari in eorum subsidio, tolerare non possumus, quin pro debito summi apostolatus offitii aliter moneamus eosdem regem et ducem, ut introclusa copia litterarum, quas ad eos misimus, continetur[5]. Te vero et suffraganeos antedictos, quibus velis praesentium copiam destinare, stricte requirimus et hortamur in Domino, ut omnibus viis et modis, quibus melius poteritis, studeatis praefatos principes continere, ne auxilia et favores Bohemis haereticis subministrent, aliquo colore quaesito, sed statim revocent Sigismundum, et ad confusionem haereticorum cum aliis fidelibus se coniungant, et pacem

habere velint cum omnibus catholicis christianis. Datum Romae [die 19.XI.1423].

a) *in ms* synceram
b) *in ms* benivolentia
c) *in ms* benivolis
1) *Albertus Jastrzębiec († 1436), 1399 episcopus Posnaniensis, 1412 Cracoviensis, 9.VII.1423 confirmatus archiepiscopus Gnesnensis.*
2) *de hac synodo provinciali scitur tantum, quod autumno 1423 Lanciciae fuit celebrata.*
3) *Vladislaus II Iagello († 1434), rex Poloniae ab a. 1385, et Vitoldus-Alexander († 1430), magnus dux Lithuaniae ab a. 1401.*
4) *Sigismundus Korybutowicz († 1435), regis Vladislai nepos ex fratre, medio a. 1422 missus cum exercitu in Bohemiam in subsidium Hussitarum, qui Alexandrum regem Bohemiae elegerunt.*
5) *litteras de die 19.XI.1423 ad magnum ducem Alexandrum ed. Lewicki CE III, p. 181-182 (comminatio censurarum, nisi intra 2 menses Sigismundum revocet). Litteras ad regem Vladislaum, eiusdem tenoris, ed. J. Caro, Liber cancellariae Stanislai Ciołek, Bd. 2, Wien 1874, nr 115.*

## *A. 2.*

*[Romae, 25.XII.1424].*

*Martinus V pontifex maximus*
*Vladislao II Iagelloni, regi Poloniae*

*Gratulatur ei de filio Vladislao die 31.X.1424 nato.*

*Copia saec. XV: BAV, Ottobon. Lat., vol. 3014, f. 50v-51r.*
*Copiae posteriores: ASV, Arm. 39, vol. 4, f. 53v.-54v; ibid. vol. 5, f. 206r-207r; ibid. vol. 7A, f. 211v-212r.*

Carissimo in Christo filio Wladislao Poloniae regi illustri, salutem etc. Benedicimus et laudamus Deum, qui sicut hac sancta die de Virginis utero nasci voluit, ut redimeret genus humanum, ita pridie adveniente solemni[a] celebratione sanctorum suorum, sicut per tuas nobis devotas iucundas[b] litteras intimasti, ex te et carissima in Christo filia nostra Sophia, consorte tua[1], regina illustri, desideratum tibi genitum vobis et Ecclesiae filium dedit[2], ut consolaretur vos et senectutem tuam et regnum tuum, quod forsitan te desinente, magnis subiacebit periculis, ab omni timore liberatum, in diuturna tranquillitate firmaret et laetificaret tot gentes et populos, ad quorum regnum, pacem et salutem hicce filius singulari Dei gratia natus est, ut merito resumere possit [51r] illud S. Ysaiae[c], quod in hodierna missa perlegitur: Puer natus est nobis et filius datus est nobis[3].

Profecto cum summa laetitia in sinum caritatis nostrae, cum praecipua dilectione et benedictione [filium hunc tuum] recipimus, honorantes Deum, qui donavit eum nobis et tibi, ut conservet ipsum in vita et suo tempore ambulare faciat per vias eius[4], teque illi tam diu concedat, ut a te patre percipere possit documenta sacrae christianae religionis et fidei, quam devote et sancte colis et cum perpetua laude tui nominis amplificasti; possit et a te vivo tuas virtutes regias ad[d]iscere et[d] te adolescentiae suae magistrum imitari[e]. Haec ut ita fiant, rogamus Deum et speramus in eo, tibi vero, fili carissime, in hac tua laetitia congratulamur et in intimo cordis affectu Serenitatem Tuam hortamur, ut quod dies et noctes tecum cogites, quamque mirabile donum sit, quod a Domino recepisti, et referas gratias Illi, qui in tempore senectutis tuae domum tuam cum tanto munere dignatus est [laetificare].

Caeterum ad praesentem cumulum nostrae laetitiae et consolationis accederet, si possemus infantem regium nostris manibus baptizare et assignare Christo, Deo nostro, sed quoniam per nos fieri nequit, commisimus per nostras litteras venerabilibus fratribus nostris Alberto archiepiscopo Gneznensi[5] et Andreae episcopo Poznaniensi[6], ut alter ipsorum, qui Excellentiae Tuae placuerit, hoc faciat nomine et vice nostra[7]. Datum [Romae, die 25.XII.1424][f].

a) *in ms* solempni

b) *in ms* iocundas

c) *in ms* Sysaie

d) *in ms sequitur* a

e) *in ms* invitare

f) *datatio ex mentione festi Nativitatis Domini in textu.*

*1) cfr N. 8.*

2) *Vladislaus III dictus Varnensis († 1444) natus est die 31.X.1424, rex Poloniae 1434-1444 et Hungariae ab a. 1440.*

3) *antiphona ad introitum missae in festo Nativitatis Christi ex Is. 9,5.*

4) *Deuter. 8,6; 10,12; 19,9; 26,17.*

5) *Jastrzębiec.*

6) *Andreas Lascaris de Gosławice († 1426), episcopus Posnaniensis ab a. 1414, in Concilio Constantiensi celebris.*

7) *litteras eiusdem commissionis pro ambobus ed. Lewicki CE III, p. 181; ibidem aliae litterae pontificiae ad regem, partim de eodem argumento (p. 181-182).*

## *A. 3.*

*Romae, 13.X.1433.*

*Eugenius IV pontifex maximus*
*Vladislao II Iagelloni, regi Poloniae*

*Laudat eius operam in causa unionis Ecclesiae et reconciliationis patrum Conciliii Basileensis cum pontifice Romano praestitam.*

*Copia saec. XV: BAV, Chigi D. VII, vol. 101, k. 63r (alia copia eiusdem manus, sed peior, ibid. f. 60v).*

*— Copiae saec. XVII: BAV, Barber. Lat., vol. 2001, f. 157r-v et 162v-163r.*

*Copia saec. XV: ASV, Reg. Vat., vol. 359, f. 72r-v (sine data).*

Carissimo in Christo filio Wladislao, regi Poloniae illustri, salutem etc. Post recessum dilecti filii Nicolai oratoris et procuratoris tui[1], nullas litteras recepimus a Tua Serenitate, audivimus tamen de sospitate tua et de bono statu; quod fuit nobis et est audire iucundissimum[a]. Diligimus enim tuam personam sincera animi affectione, ac praecipua quadam caritate complectimur, propter tuam singularem erga nos et statum nostrum et Ecclesiae affectionem pariter et devotionem. Intelligimus etiam quotidie quanta cum maturitate consilii procedas circa factum Concilii Basilien[sis]. In quo, prout aperte potes perspicere, existunt homines magis cupidi seditionum et novitatum, quam pacis christifidelium et unionis Ecclesiae; qui quid quaerant, quid moliantur contra nos, non obscure significant; non enim ad reformationem Ecclesiae vacant, sed ad depressionem Ro[manae] Ecclesiae atque nostram. Sed obtundet Deus eorum conatus per tuam et aliorum fidelium et devotorum principum sapientiam. Verumtamen nos, semper ad pacem et quietem Ecclesiae et christifidelium intenti, misimus Basileam nostros oratores[2] cum pleno mandato de com-

probando illud concilium super tribus rebus, propter quas solas concilium fuerat a principio congregatum: exstirpationem haeresium, reformationem Ecclesiae ac procurandam christifidelium pacem[3]. Quod si illi acceptabunt, laetabimur in Domino propter bonum reip[ublicae] christianae, si vero minus, notum erit omnibus fidelibus illos sequi consilia perniciosa Ecclesiae et ab unione remota. Datum Ro[mae] etc., tertio idus Octobris, anno tertio.

a) *in ms* iocundissimum

1) *Nicolaus Lasocki († 1450), 1406 canonicus Cracoviensis, 1429 custos Gnesnensis, rebus gestis pro schismate Basileensi exstinguendo celebris.*

2) *Bartholomaeum archiepiscopum Spalatensem, Christophorum episcopum Cerviensem et Nicolaum abbatem monasterii S. Mariae de Moniacis (Sicilia).*

3) *vide bullam* «Dudum sacrum» *de die 13.VIII.1433.*

## *A. 4.*

*Romae, 12.I.1434.*

*Eugenius IV pontifex maximus*
*Vladislao II Iagelloni, regi Poloniae*

*Notum facit se, intuitu imperatoris Sigismundi et Caroli regis Francorum ac aliorum principum, concordiam cum patribus Concilii Basileensis iniisse, et exhortatur eum, ut ad dictum concilium praelatos regni sui mittat.*

*Copia saec. XV: BAV, Chigi D. VII, vol. 101, f. 65r-66r.*
*— Copia saec. XVII: BAV, Barber. Lat., vol. 2001, f. 164v-165r.*
*Copia saec. XV: ASV, Reg. Vat., vol. 359, f. 79r-v.*

Carissimo in Christo filio Wladislao regi Poloniae illustri, salutem etc. Venerunt ad nos carissimorum in Christo filiorum Sigismundi Romanorum imperatoris[1] et Caroli Francorum regis[2] illustrium et aliorum plurimorum principum oratores exhortantes[a] nos ad approbandum certum decretum factum in Concilio Basiliensi pro concordia inter nos et ipsum concilium statuenda. Quod nos ad laudem Dei fecimus pro pace Ecclesiae ac salute populi christiani ipsorumque principum contemplatione, ut sit una mens et una voluntas inter nos et concilium, spectans ad ea, quae cadant ad gloriam Altissimi et fidei incrementum, prout ex totis affectibus desideramus. Haec ad tui consolationem volumus significare Tuae Serenitati, rogantes eandem et in Domino exhortantes, ut velit mandare praelatis tui regni et aliis, qui ad concilia generalia tenentur accedere, ut ad praefatum concilium proficiscantur atque ibidem honorem [66r] dignitatemque Ro[manae] Ecclesiae ac Sedis Apostolicae auctoritatem defendant, procurando et agendo semper ea, quae spectent ad honorem Dei et utilitatem rei publicae christianae. Datum Romae etc., pridie Idus Ianuarii [1434], anno tertio.

a) *in ms* exortantes

1) *Sigismundus Luxemburgensis († 1437), 1387 rex Hungariae, 1410 rex Romanorum, 1433 imperator.*

2) *Carolus VII Valesius († 1461), rex Galliae ab a. 1422.*

A. 5.

*Florentiae, [23.III.1435].*

*Eugenius IV pontifex maximus*
*Vladislao III Iagellonidi, regi Poloniae*

*Gratias agit pro oboedientia sibi per eius oratorem, Ioannem Rey, praestita, laudatque eius patrem, regem Vladislaum, et ad ipsum imitandum adhortatur.*

*Copia saec. XV: BAV, Chigi D.VIII, vol. 101, f. 73v-74r.*
*— Copia saec. XVII: BAV, Barber. Lat., vol. 2001, f. 195v-196v.*
*Copia saec. XV: ASV, Reg. Vat., vol. 359, f. 90r-v.*

Carissimo in Christo filio Wladislao regi Poloniae illustri, salutem etc. Vidimus libenter et animo benevolo audivimus dilectum filium Iohannem Rey, canonicum Cracoviensem[1], oratorem tuum, qui veniens ad nostram praesentiam, obtulit ac praestitit nobis oboedientiam ex parte Tuae Serenitatis, quod fuit nobis gratissimum. Optime tu quidem, fili carissime, facis, qui inter prima opera adolescentiae tuae offers primitias Deo acceptas, oboedientiam scilicet Vicario Iesu Christi, in quo es maxime commendandus. Imitaris enim devotionem recolendae memoriae patris tui[2], quam semper habuit singularem ad nos et Sedem Apostolicam. Nos quidem illum dileximus praecipua affectione dum vixit, tanquam christianissimum principem et devotum nostrum [at]que Ecclesiae specialem filium et fidei christianae propugnatorem; cuius virtus cum toto orbe claruerit, enitendum est tibi totis viribus, ut quemadmodum regnum suum, ita et virtus eius et sapientia in te translata esse videantur. Maxime autem fidei integritas et devotio illius, quae ipsum insignem principem reddiderunt, tibi est omnino imitanda. Sed omnium primum est et praecipuum, ut Deum colas et diligas ex tota mente tua et ex tota anima tua[3], per semitam mandatorum suorum dirigeres gressus tuos[4], et etiam ut orthodoxam fidem tuearis et defendas, reverearisque, ut facis, vicarium suum in terris et Ecclesiam Sanctam suam; praelatis vero, quos habes patres spirituales, debitam reverentiam praesta. Inter caetera vero carissimam in Christo filiam Sophiam, matrem tuam, honora, ut sis longaevus super terram[5]. Bonorum [74r] consiliis adhaere, pacem et concordiam inquire et serva[a].

Haec agens non solum nostram, sed Dei quoque consequeris benedictionem et gratiam; quibus protectus, non timebis quid faciat tibi homo[6]. Nos vero, tum propter affectionem, quam gessimus ad patrem tuum, tum respectu bonae indolis, quam in te esse conspicimus, volumus esse tibi caritate, benevolentia et consilio, tamquam pater, intenti ad complacendum Tuae Serenitati, quantum licebit cum Deo et honore nostro, in singulis concernentibus et tuum et regni statum et honorem. Datum Florentiae etc [X kalendas Aprilis anno V°].

a) *in ms* servare

1) *Ioannes Rey († 1468) de Szumsko, praepositus ecclesiae S. Michaelis in castro Cracoviensi, sigilliger regius.*

2) *Vladislaus II Iagello mortuus est in Gródek 31.V.1434.*

3) *Deuter. 6,5; Math. 22,37; Mc 12, 30; Luc. 10, 27.*

4) *Ps. 118, 35.*

5) *Exod. 20, 12.*

6) *Ps. 55, 11; 117, 6.*

## A. 6.

*Ferrariae, 8.VI.1438.*

*Eugenius IV pontifex maximus*
*Alberto II regi Romanorum*

*Notum facit se, audito, quod Vladislaus III rex Poloniae eius dominia in Bohemia invadere intendat, nuntium suum ad illum regem destinasse et oratores maiores destinare intendere pro pace et concordia inter eos conservanda.*

*Copia saec. XV: BAV, Chigi D.VII, vol. 101, f. 80r.*

Carissimo in Christo filio Alberto, Romanorum, Hungariae et Bohemiae regi illustri[1], salutem etc. Pridem intellecto, quod carissimus filius noster Wladislaus Poloniae rex gentem quandam armorum in regnum Bohemiae contra Tuam Maiestatem destinare intenderet[2], non mediocriter doluimus, tum propter immensa mala, quae ex ea re illis regionibus et etiam aliis possunt verisimiliter accidere, tum propter Tuam Regiam Celsitudinem, cuius statum augeri cupimus, et semper esse quietum, pacificum et tranquillum. Et ut his malis celeriter obvietur, mittimus ad eundem regem velocem nuntium cum litteris, quarum copia his includitur[3]. Ad quem, ut in ipsis continetur litteris, infra paucissimos dies solemnem mittemus ambaxiatam omni diligentia apud ipsum regem laboraturam, ut ab omni insultu et apparatu bellico contra ipsum tuum regnum Bohemiae et alia tua dominia omnino desistat; cui ambaxiatae efficaciter iniungemus, ut omnia agere poterit, per quod pacifica ipsius tui regni Bohemiae possessione uti et gaudere, sicut dignum est, valeas; quodque siquidem discordiae ac controversiae est inter Tuam Serenitatem et ipsum regem sedare et inter utrumque caritatem et amicitiam renovare studeat. Ad quae Tua quoque Serenitas, propter bonum publicum christianorum, quorum maximam curam habere debes, studeat omni diligentia incumbere, ut ex vestra pace et reliquis fidelibus pariatur pax et hostium nominis Christi vires valeant per vestram concordiam, prout cupimus, expugnari. Datum Ferrariae, VI[to] idus Iunii, anno octavo.

1) *Albertus II Habsburg († 1439), 1411 dux Austriae, 1437 rex Hungariae et Bohemiae, 18.III.1438 rex Romanorum.*

2) *post electionem fratris regis Vladislai, Casimiri Iagellonidis, in regem Bohemiae a Hussitis factam 29.V.1438.*

3) *litterae hae non inveniuntur.*

## ELENCHUS DOCUMENTORUM

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| N. 1 | Nicolaus V | Vladislao Oporowski | Romae | 20.IV.1452 |
| N. 2 | » | capitulo Ecclesiae Gnesnensis | » | » |
| N. 3 | » | fratribus Ordinis Praedicatorum conventus Gedanensis | » | » |
| N. 4 | » | Petro Nowak | » | 24.V.1452 |
| N. 5 | » | Ioanni Gruszczyński | » | 1.VI.1452 |
| N. 6 | » | Casimiro IV regi Poloniae | » | 24.X.1452 |
| N. 7 | » | Sbigneo Oleśnicki | » | 28.X.1452 |
| N. 8 | » | Sophiae reginae Poloniae | » | » |
| N. 9 | Callistus III | Casimiro IV regi Poloniae | » | 4.IV.1457 |
| N. 10-13 | » | Ioanni Sprowski<br>Gregorio a Sanok<br>Nicolao Dzierzgowski<br>Ioanni Lutek de Brzezie | » | » |
| N. 14 | » | Casimiro IV regi Poloniae | » | 13.V.1458 |
| N. 15 | Pius II | Vratislaviensibus | Mantuae | 13.VIII.1458 |
| N. 16 | » | Vratislaviensibus | » | 18.VIII.1459 |
| N. 17 | » | Casimiro IV regi Poloniae | » | 24.VIII.1459 |
| N. 18-22 | » | Ioanni Sprowski<br>Andreae Opaliński<br>Thomae Strzempiński<br>Paulo Giżycki<br>Nicolao Dzierzgowski | » | » |
| N. 23 | » | Nicolao Specymir | » | » |
| N. 24 | » | Hieronymo Lando | » | 16.IX.1459 |
| N. 25 | Pius II | Casimiro IV regi Poloniae | » | » |
| N. 26 | » | » » | » | 23.XII.1459 |
| N. 27 | » | Hieronymo Lando et Francisco de Toledo | » | » |
| N. 28 | » | Vratislaviensibus | » | 11.I.1460 |
| N. 29 | Paulus II | Casimiro IV regi Poloniae | Romae | 14.X.1470 |
| N. 30 | » | » » | » | 31.XII.1470 |
| N. 31 | » | Erico II duci Pomeraniae | » | 16.II.1471 |
| N. 32 | » | Nicolao Tungen | » | 3.VII.1471 |
| N. 33 | » | Laurentio Roverella | » | 14.VII.1471 |
| N. 34 | » | Derslao Karnicki | » | 15.VII.1471 |
| N. 35 | » | Casimiro IV regi Poloniae | » | » |
| N. 36-43 | » | 4 praelatis ecclesiasticis<br>4 dignitariis laicis Poloniae | » | 18.VII.1471 |
| N. 44 | Sixtus IV | Casimiro IV regi Poloniae | » | 31.XII.1471 |
| N. 45 | » | Derslao Karnicki | » | 3.III.1472 |
| N. 46 | » | Ioanni Pieniążek | » | 21.IV.1472 |
| N. 47 | » | consulibus civitatis Stetinensis | » | 13.VII.1472 |
| N. 48 | » | Casimiro episcopo Plocensi | » | 28.VII.1472 |

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| N. 49 | Sixtus IV | Conrado, Boleslao et Ianussio ducibus Masoviae | Romae | » |
| N. 50 | » | Casimiro IV regi Poloniae | » | 29.VII.1472 |
| N. 51 | » | card. Marco Barbo | » | » |
| N. 52 | » | Derslao Karnicki | » | » |
| N. 53 | » | Ioanni Rzeszowski | » | 20.XI.1476 |
| N. 54 | » | Rudolfo de Rüdesheim | » | 1.XII.1476 |
| N. 55 | » | magistratui Thorunensi | Romae | 8.V.1477 |
| N. 56 | » | Casimiro IV regi Poloniae | » | 21.V.1477 |
| N. 57 | » | Urieli de Górka | » | 30.V.1477 |
| N. 58 | » | Casimiro IV regi Poloniae | » | 2.X.1479 |
| N. 59 | » | Ioanni III duci Moscoviae | » | 2.X.1479 |
| N. 60 | » | Casimiro IV regi Poloniae | » | 21.X.1479 |
| N. 61 | » | Iacobo de Sienno | » | 28.IX.1480 |
| N. 62 | » | Ludmillae ducissae Legnicensi | » | 14.X.1480 |
| N. 63 | » | Casimiro IV regi et proceribus regni Poloniae | » | 18.X.1480 |
| N. 64 | » | Mariano de Jeziorko | » | 31.VIII.1481 |
| N. 65 | » | Rudolfo de Rüdesheim | » | 7.IX.1481 |
| N. 66 | » | Casimiro IV regi Poloniae | » | 18.IX.1481 |
| N. 67 | » | Ioanni Rzeszowski | » | 27.X.1481 |
| N. 68 | » | Iacobo de Dębno | » | 16.XI.1481 |
| N. 69 | » | fratribus ordinis Minorum in Polonia, Bohemia et dioec. Salisburgensi | » | 17.XI.1481 |
| N. 70 | » | Casimiro IV regi Poloniae | » | 29.III.1482 |
| N. 71 | » | consulibus et comunitati Gedanensi | » | » |
| N. 72 | » | Bartholomaeo et Petro Ioanni de Camerino | » | 17.V.1482 |
| N. 73 | » | Ioanni Roth | » | 28.V.1482 |
| N. 74 | » | Sbigneo Oleśnicki | » | 13.VI.1482 |
| N. 75 | » | Ioanni Rzeszowski | » | » |
| N. 76 | » | Urieli de Górka | » | » |
| N. 77 | » | » » | » | 19.VI.1482 |
| N. 78 | » | Casimiro IV regi Poloniae | » | 26.VI.1482 |
| N. 79 | » | Ioanni Rzeszowski | » | » |
| N. 80 | » | sorori et fratri Marini de Fregeno | » | 26.VIII.1482 |
| N. 81 | » | Sbigneo Oleśnicki | » | 7.XI.1482 |
| N. 82 | » | Iacobo de Dębno | » | » |
| N. 83-98 | » | Andreae Oporowski<br>Petro de Bnin<br>Ioanni Wątróbka Strzelecki<br>Martino Gasztołd<br>Olechno<br>Andreae Szeliga<br>Stanislao Martini<br>aliis 9 episcopis et nobilibus | » | » |
| N. 99 | » | Mariano de Jeziorko et Michaeli Bal | » | » |
| N. 100 | » | Iulio Caesari de Varano | » | 6.XII.1482 |
| N. 101 | » | Casimiro IV regi Poloniae | » | 10.XII.1482 |
| N. 102 | » | Urieli de Górka | » | » |

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| N. 103 | Sixtus IV | Bartholomaeo de Camerino | Romae » | |
| N. 104 | » | Urieli de Górka | » | » |
| N. 105 | » | Casimiro IV regi Poloniae | » | 10.I.1483 |
| N. 106 | » | » » | » | 1.III.1483 |
| N. 107 | » | Ioanni Roth | » | 3.III.1483 |
| N. 108 | » | Benedicto abbati Vratislaviensi | » | » |
| N. 109 | » | Urieli de Górka | » | 27.VIII.1483 |
| N. 110 | » | Ioanni Rehwinkel | » | 30.VIII.1483 |
| N. 111 | » | Urieli de Górka | Romae | » |
| N. 112 | » | Casimiro IV regi Poloniae | » | 4.XII.1483 |
| N. 113 | » | » » | » | 7.II.1484 |
| N. 114 | » | » » | » | 21.XI.1484 |
| N. 115 | Innocentius VIII | Ioanni III duci Moscoviae | » | 21.V.1485 |
| N. 116 | » | Stephano de Nidzica | » | 28.I.1486 |
| N. 117 | » | » » | » | 6.III.1486 |
| N. 118 | » | Casimiro IV regi Poloniae | » | 12.VII.1486 |
| N. 119 | » | Urieli de Górka | » | » |
| N. 120 | » | Ioanni Rzeszowski | » | 3.V.1488 |
| N. 121 | » | Casimiro IV regi Poloniae | » | 31.V.1488 |
| N. 122 | » | Marco can. regulari Glacensi | » | 1.VI.1488 |
| N. 123 | » | Urieli de Górka | » | 1.VII.1488 |
| N. 124 | » | Andreae et Ioanni Oporowski | » | 11.VIII.1488 |
| N. 125 | » | Ioanni Zanega | » | » |
| N. 126 | » | Ioanni Kisling | » | 12.VIII.1488 |
| N. 127 | » | Sbigneo Oleśnicki | » | 26.VIII.1488 |
| N. 128 | » | Andreae Róża Boryszewski | » | 2.IX.1488 |
| N. 129 | » | Laurentio Grodzicki | » | 3.IX.1488 |
| N. 130 | » | Andreae Gołuchowski | » | 3.IX.1488 |
| N. 131 | » | Casimiro IV regi Poloniae | » | 6.IX.1488 |
| N. 132 | » | Nicolao Czepiel | » | » |
| N. 133 | » | Sbigneo Oleśnicki | » | 26.II.1490 |
| N. 134 | » | Nicolao de Mniszewo et Michaeli | » | 4.III.1490 |
| N. 135 | » | Benedicto de Waldstein | » | 10.III.1490 |
| N. 136 | » | Martino Niechanowski et Vladislao Głębocki | » | 1.VII.1490 |
| N. 137 | » | Sigismundo de Targowisko | » | 7.VIII.1490 |
| N. 138 | » | Friderico Iagellonidi | » | 14.VIII.1490 |
| N. 139 | Alexander VI | capitulo Ecclesiae Cracoviensis | » | 4.VII.1493 |
| N. 140 | » | Ioanni Alberto regi Poloniae | » | 19.VII.1493 |
| N. 141 | » | Friderico Iagellonidi | » | » |
| N. 142 | » | Michaeli Bal | » | 17.V.1494 |
| N. 143 | » | Stanislao Łowęcki | » | 19.X.1500 |
| N. 144 | » | Alberto Tabor | » | 26.IV.1501 |
| N. 145 | » | Alexandro Iagellonidi | » | 28.IV.1501 |
| N. 146 | » | Valthero de Plettenberg | » | » |
| N. 147 | » | Alexandro Iagellonidi | » | 7.V.1501 |
| N. 148 | » | Gregorio de Loszko | » | 10.V.1501 |
| N. 149 | » | Alexandro Iagellonidi | » | V-VI.1501 |
| N. 150 | » | Erasmo Vitellio | » | 20.V.1501 |
| N. 151 | » | Alexandro Iagellonidi | » | 8.VI.1501 |
| N. 152 | » | » » | » | » |
| N. 153 | » | Alberto Tabor | » | » |
| N. 154 | » | card. Friderico Iagellonidi | » | 26.XI.1501 |

Appendix

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| A. 1. | Martinus V | Alberto Jastrzębiec | Romae | 19.XI.1423 |
| A. 2. | » | Vladislao II regi Poloniae | » | 25.XII.1424 |
| A. 3. | Eugenius IV | » » | » | 13.X.1433 |
| A. 4. | » | » » | » | 12.I.1434 |
| A. 5. | » | Vladislao III regi Poloniae | Florentiae | 23.III.1435 |
| A. 6. | » | Alberto II regi Romanorum | Ferrariae | 8.VI.1438 |

## INDEX PERSONARUM ET LOCORUM
auctore Luciano Olech

*Hoc in Indice nulla habetur ratio nominum propriorum in Introductione occurrentium. Numeri ad paginas, non ad singula documenta remittunt.*

Abbreviationes

| | | | |
|---|---|---|---|
| archiep. | – archiepiscopus | opp. | – oppidum |
| can. | – canonicus | pal. | – palatinus |
| card. | – cardinalis | patr. | – patriarcha |
| ep. | – episcopus | pp. | – papa |
| metr. | – metropolita | secr. | – secretarius |

A

AETHIOPES (Ethiopes), 93.
AGRIA (Eger), Agriensis, opp. et dioecesis in Hungaria, 23, 43.
ALBA GRAECA (Belgradum), 9.
ALBANENSIS ep. *v.* Balue Ioannes.
ALBANIA, 42.
ALBENSIS ep. *v.* Rangone Gabriel.
ALBERTUS II rex Romanorum, 113.
ALBERTUS VI archidux Austriae, 17.
ALBERTUS dux Bavariae, 34.
ALBERTUS dux Saxoniae, 34.
ALBERTUS ACHILLES Hohenzollern, marchio Brandenburgensis, 12, 34, 45.
ALERIENSIS ep. *v.* Porta, Ardicinus de
ALEXANDER VI pp. (Rodericus Borgia), 71, 76-8, 86-90, 94-5, 97, 99-101, 103-4.
ALEXANDER Jagellonides, m. dux Lithuaniae, rex Poloniae, 91-5, 98-101, 103-5.
ANDREAS LASCARIS, de Gosławice, ep. Posnaniensis, 110.
ANGLIA, 33, 36.
ARAGONIA *v.* Beatrix de Aragonia.
ARMENI, 39.
AUBUSSON, Petrus de, magnus magister Ordinis Hierosolymitani, 64, 65.
AUGUSTINI S., Ordo Canonicorum Regularium, 71, 72.
AURIBELLO Martialis, vicarius, *postea* magister gen. Ordinis Praedicatorum, 4.
AUSTRIA, 17, 34, 36, 53.

B

BAIAZETUS sultanus Turcarum, 65.
BAL Michael, vicarius provinc. Ordinis Fratrum Minorum de Observantia in Polonia, 52, 53, 88.
BALBANI (Balbanus) Hieronymus, secr. domesticus Innocentii VIII, 67-9.
BALUE Ioannes, ep. Albanensis, card. 79.
BAMBERGENSES, 33.
BARBO Marcus, card., nuntius ap. in Germania, 30.
BARTHOLOMAEUS, archiep. Spalatensis *v.* Zobarellis, Bartholomaeus de
BASILEA, 110, 111.
BASILEENSE Concilium, 20, 110, 111.
BASILIUS II Basilides, dux Moscoviae, 19.
BAVARIA, 34.
BEATRIX de Aragonia, regina Hunga-

riae, uxor Matthiae Corvini, 88, 89.
BELGRADUM *v.* Alba Graeca.
BENEDICTUS, abbas monasterii S. Mariae in Arena Vratislaviensi, 60.
BENEVENTANUS archiep. *v.* Griffi Leonardus.
BESSARION, card., patr. Constantinopolitanus, 96, 97.
BIELSKO, Matthias de, 36, 37.
BINIS, Bernardus de, mercator Florentinus, 70, 71.
BINIS, Franciscus de, mercator Florentinus, 70, 71.
BIONDI (Blondus) Caspar, datarius pontificius, 71.
BNIN, Petrus de, ep. Premisliensis, 52.
BOHEMIA, 12, 13, 15, 16, 18-20, 22-5, 38, 41, 44, 62-3, 88-9, 108-9, 113.
BOLESLAUS dux Masoviae, 29.
BONIFACIUS IX pp. (Petrus Tomacelli), 67.
BONONIA, Bononiensis, 6, 73.
BORDINI Christophorus, de Pratella, ep. Cortonensis, 84.
BORGIA Rodericus, card., ep. Portuensis *v.* Alexander VI pp.
BORYSZEWSKI *v.* Róża Boryszewski.
BOSNIA, 39, 40.
BOWOROWO (Baborowo), parochia dioecesis Posnaniensis, 89, 90.
BRACIANUM, 41, 42.
BRANDENBURGENSIS, 12, 34, 71.
BREMENSES, 33.
BRIXIENSIS *v.* Zane Paulus.
BRZEZIE *v.* Ioannes Lutek de Brzezie.
BUŁGARYNOWICZ Ioannes Ioseph (Ioseph I), metr. Kioviensis, 90-3, 95-6, 98.
BURGUNDIA, 36.
BUŻEŃSKI Stanislaus, can. Gnesnensis et Plocensis, orator regis Poloniae, 63, 64.
BRZEZINENSIS districtus, 74.
BYZANTINUS, 34.

C

CAESENATENSIS ep. *v.* Menzi Petrus.
CALISSIA, 79, 80.
CALLISTUS III pp. (Alfonsus Borgia), 8, 9, 11, 20.
CAMERINO, Bartholomaeus de, commissarius expeditionis contra Turcas, 44, 46, 51-7.
CAMERINO, Petrus Ioannes de, commissarius expeditionis contra Turcas, 42-4, 46-9, 51, 54-7.
CAMERINUM, 53-4.
CAMINENSIS, 9, 20, 26, 28, 50, 70, 71, 83.
CAPUA, 50.
CARMELI Mons, 28.
*CARO J.*, 109.
CAROLUS VII Valesius, rex Galliae, 111.
CARTHUSIANI, 37-8.
CARVAJAL Ioannes, card., 12.
CASIMIRUS III dux Masoviae, ep. Plocensis, 28, 29, 36, 37.
CASIMIRUS IV Jagellonides, rex Poloniae, 3, 6-8, 13-19, 22-7, 30, 31, 34-5, 38, 41, 43, 45, 49, 54, 57, 58, 62-4, 67, 68, 70, 74, 79, 80, 87, 93, 113.
CASTILIA, 65.
CERETANIS, Ioannes de, ep. Nucerinus, 85.
CERRETUM d'Esi, prope Fabrianum, 54.
CERVIENSIS ep. *v.* Christophorus.
CESARINIS, Iulianus de, protonotarius ap., *postea* card., 82.
CHEBDA Nicolaus, de Niewiesz, can. Gnesnensis, cantor Posnaniensis, 5, 6.
CHRISTOPHORUS, ep. Cerviensis, 110, 111.
CHROŚCICE, Andreas Petri de, can. Lanciciensis, vicarius cathedralis Plocensis, 69, 70, 75, 76.
CIOŁEK *v.* Vitellius.
CIVITAS CASTELLI, 63.
CLEPARDIA, Michael de, OSB, abbas monasterii S. Crucis, 23, 26.
CONRADUS dux Masoviae, 29.
CONSTANTIENSE Concilium, 110.
CONSTANTINOPOLIS, Constantinopolitanus, 8, 9, 16, 34, 92, 96-8.
CONSTANTINUS XI imperator Byzantinus, 34.
CORTONENSIS ep. *v.* Bordini Christophorus.

CRACOVIA, Cracoviensis, 6, 7, 10, 14, 24, 31, 42-4, 48, 50-2, 69, 70, 74, 76, 77, 80, 81, 84-7, 109, 111-12.
CRETENSIS archiep. *v.* Lando Hieronymus.
CROATIA, 41.
CROTONENSIS ep. *v.* Viterbio, Ioannes de
CRUCIS S. MONS *v.* Mons Sanctae Crucis.
CRUSVICENSIS, 5, 6.
CULMENSIS, 23, 26, 32, 33, 66, 67.
CUSENTINUS ep. *v.* Flores Bartholomaeus.
CUTHNARUM MONTES *v.* Kutná Hora.
CZEPIEL Nicolaus, can. Cracoviensis, 75-7, 80, 81, 86-7.

D

DANIA (Datia), 36, 63.
DATI (Dathus) Leonardus, secr. Callisti III et Pauli II, ep. Massanensis, 20-25.
DĘBNO, Iacobus de, Regni Poloniae canc., 20-26, 43, 44, 51, 52.
DOROTHEA, de Montowy, beata, 67.
DZIERZGOWSKI Nicolaus, ep. Vilnensis, 9, 10, 14.

E

EBERSTEIN-NEUGARTEN Albertus, comes de, 20.
EBERSTEIN-NEUGARTEN Ludovicus, comes de, electus ep. Caminensis, 20.
EGER *v.* Agria.
EPIRUS, 41, 42.
ERICUS II dux Pomeraniae, 20, 21.
ERNESTUS dux Saxoniae, 34, 45.
EUGENIUS IV pp. (Gabriel Condulmer), 39, 104, 110, 112, 113.
EUGUBINUS ep. *v.* Griffi Leonardus.
EUROPA, 58, 65.

F

FABRIANUM, 54.
FERDINANDUS I rex Neapolis, 89.
FERDINANDUS Catholicus, rex Siciliae et Castiliae, 64, 65.
FERRARIA, Ferrariensis, 22, 23, 25, 57-9, 113.
*FIJAŁEK J.*, 90, 94, 99.
FLANDRIA, 33.
FLORENTIA, Florentinus, 33, 47, 59, 70, 71, 112.
FLORENTINUM Concilium, 39, 40, 90-3, 95-6, 104.
FLORES Bartholomaeus, ep. Sutrinus et Nepesinus, *postea* Cusentinus, 86-8.
FORLIVIO, Antonius de, clericus Camerae Ap., 60.
FRANCI *v.* Gallia.
FRANCOFORDIA, 17.
FREGENO, Acantius de, 50.
FREGENO, Marianus de, commissarius expeditionis contra Turcas, ep. Caminensis, 8-10, 38, 50, 54.
FREGENO, Marsilius de, 54.
FREGENO, Petrus Antonius de, publicator indulgentiarum, 38, 54.
FRESCOBALDI Ioannes, mercator Florentinus, 47, 59, 60.
FRIDERICUS III imperator, 11, 12, 17, 62, 63.
FRIDERICUS I dux Legnicensis, 38.
FRIDERICUS Jagellonides, ep. Cracoviensis et archiep. Gnesnensis, card., 70, 84-5, 87, 104.

G

GALLETTI (Galettus) Dominicus, secr. pontificius, 90.
GALLIA, Galli (Franci), 33, 111.
GASZTOŁD Martinus, pal. Trocensis, 52.
GAVIONIBUS, Baptista de, secr. pontificius, 72.
GEDANO, Polus de, 33.
GEDANUM, Gedanensis, 4, 33, 46.
GEORGIUS dux Bavariae, 34.
GEORGIUS a Poděbrady, rex Bohemiae, 12, 13, 16, 18-20, 23, 38.
GERMANIA, 10, 30, 74, 83.
GERONA, Ioannes de, notarius Camerae Ap., secr. pontificius, 83.

GHERARDI Maffaeus, patr. Venetiarum, 47.
GIŻYCKI Paulus, ep. Plocensis, 14.
GLATZ, Glacensis *v.* Kłodzko.
GLOGOVIENSIS Porta (Legniciae), 38.
GŁĘBOCKI Vladislaus, can. Gnesnensis, 83.
GŁOWIŃSKI Paulus, decanus Cracoviensis, 6, 7.
GNESNENSIS (Gneznensis), 3, 4, 6, 9, 10, 14, 27, 34, 37, 47-9, 51, 64, 70, 73, 75, 76, 79-83, 85, 104, 108-11.
GOŁUCHOWSKI Andreas, can. Posnaniensis, 78, 79.
GONZAGA Franciscus, card. Mantuanus, 69, 70.
GORLICIA (Gorlycia), 17.
GÓRKA, Uriel de, ep. Posnaniensis, 34, 47-9, 55-7, 61-2, 68, 72.
GÓRKA, Wyszota de, secr. Casimiri Jagellonidis, orator regius ad Nicolaum V pp., 3, 4.
GOSŁAWICE *v.* Andreas Lascaris.
GRABIESZYCE *v.* Ioannes Brandys.
GRAECI, 39, 92, 96-8, 101, 104.
GRASSIS, Antonius de, ep. Tiburtinus, 70, 75, 76, 79.
GRIFFI (Grifus) Leonardus, secr. pontificius, ep. Eugubinus, *postea* archiep. Beneventanus, 26-9, 31-46, 48, 50-61, 63-6, 73.
GRODZICKI Iacobus, mercator Posnaniensis, 78.
GRODZICKI Laurentius, medicinae doctor, can. Posnaniensis, 78.
GRÓDEK, opp., 112.
GRUBE Stephanus, archiep. Rigensis, 45, 46, 61.
GRUSZCZYŃSKI Ioannes, ep. Vladislaviensis, R.P. canc., 5, 6.
GRUSZCZYŃSKI Stanislaus, can. Gnesnensis, 75, 76.

H

HELENA regina Poloniae, filia Ioannis III ducis Moscoviae, uxor Alexandri Jagellonidis, 93, 101-5.
HENNINGUS, ep. Caminensis, 21.
HERCULES Estensis, dux Ferrariae, 58.
HERMANNUS, clericus dioecesis Vratislaviensis, 32.
HIEROSOLYMITANUS, 35, 36, 42, 50, 64, 65, 84.
HOLLANDIA, 83.
HUNGARIA (Ungaria), Hungari, 11, 12, 19, 22, 23, 36, 47, 57, 59, 60, 62, 63, 88, 89, 110, 111, 113.
HUS Ioannes, 72.
HUSSITAE, 63, 108, 109, 113.
HYDRUNTUM (Otranto), 41, 42, 45.

I

IANUSSIUS dux Masoviae, 29.
IGLAVIA (Jihlava), opp. in Moravia, 22, 23.
INNOCENTIUS VIII pp. (Ioannes Baptista Cybo), 65-76, 78-88.
IOACHIMUS I patr. Constantinopolitanus, 96, 97.
IOANNES marchio Brandenburgensis, 34, 71.
IOANNES III Basilides, dux Moscoviae, 18, 19, 35, 64, 65, 103.
IOANNES ALBERTUS Jagellonides, rex Poloniae, 87, 105.
IOANNES BAPTISTA, alias Prete, 54.
IOANNES BRANDYS, de Grabieszyce, can. Cracoviensis, *postea* ep. Premisliensis, 86.
IOANNES IOSEPH *v.* Bułgarynowicz.
IOANNES LUTEK de Brzezie, archidiac. Gnesnensis, R.P. vicecanc., 9, 10.
IOSEPH I *v.* Bułgarynowicz.
ISIDORUS, card., patr. Constantinopolitanus, 96, 97.
ITALIA, Itali, 41, 45, 50, 57-9, 64, 65, 73.
IUDAEI, 93.
IULIUS II pp. (Iulianus della Rovere), 28-31.
IUNIVLADISLAVIENSIS, 73.

J

JASTRZĘBIEC Albertus, archiep. Gnesnensis, 108-10.

JEZIORKO, Marianus de, vicarius provinc. Ordinis Fratrum Minorum de Observantia in Polonia, 39, 40, 43, 44, 52, 53.
JIHLAVA *v.* Iglavia.
JODE Nicolaus, can. Culmensis, 32-3.

K

KARNICKI Derslaus, denarii S. Petri in Polonia collector gen., 24, 26-31.
KASIMIRUS *v.* Casimirus.
KIEŁBASA Vincentius, ep. Culmensis, 23, 26.
KIOVIENSIS, 52, 90-3, 95, 97, 98.
KISLING Ioannes, civis Cracoviensis, 74.
KŁODZKO (Glatz), Glacensis, 71, 72.
KOT Iacobus, de Dębno, decanus Gnesnensis, 9.
KOZIEBRODZKI Ioannes, 3.
KROTOSZYN, Ioannes de, scholasticus Posnaniensis, 75, 76.
KRZYŻANOWSKI Dobrogostius, cantor Plocensis, 36, 37, 78.
KUTNÁ HORA (Cuthnarum Montes), 22, 23, 25.
*KUTRZEBA St.*, 90.
KWIDZYN (Marienwerder), opp. in Pomesania, 67.
KWIDZYN, Ioannes de, 67.

L

LANCICIA, Lanciciensis, 27, 70, 108, 109.
LANDO Hieronymus, archiep. Cretensis, *postea* patr. Constantinopolitanus, 15-18, 96, 97.
LASOCKI Nicolaus, electus ep. Vladislaviensis, 6, 110, 111.
LATERANENSE Concilium, 90.
LATINUS, 92, 96, 98, 104.
LATOWICZ, Nicolaus de, can. Gnesnensis, 75, 76, 82.
LEGNICIA, Legniciensis, 37, 38.
LEOPOLIENSIS, 9, 10, 52, 76, 77, 80, 81, 86, 87.
LESZCZYŃSKI Raphael, orator Casimiri IV Jagellonidis, 74.
*LEWICKI A.*, 14, 15, 24-7, 30, 110.
LIPOWIEC, Iacobus de, archidiac. Sandecensis, 30, 31, 84, 85.
LIPSIA, 67.
LITHUANIA (Lituania), 8-10, 39, 50, 91-5, 99-101, 103, 109.
LIVONIA, 38, 45, 46, 65, 66, 94.
LOSZKO Alexander, sacerdos dioecesis Kioviensis, 97, 98.
LUBECA, Lubecenses, 15, 33, 46.
LUCANUS, Lucensis, 67, 71.
LUDMILLA, filia Georgii de Poděbrady, uxor Friderici I ducis Legnicensis, 37, 38.
LUDOVICUS dux Legnicensis, 38.
LUSATIA, 38.
LUTEK de Brzezie *v.* Ioannes Lutek de Brzezie.

Ł

ŁOWĘCKI Stanislaus, parochus in Boworowo, 89, 90.

M

MACARIUS, metr. Kioviensis, 98.
MAFFEI Gerardus, de Vulterris, notarius Camerae Ap., 14.
MAHOMETUS II Fatih, sultanus Turcarum, 10.
MALENOVEC, opp. in Bohemia, 20.
MANTUA, Mantuanus, 12, 13, 15-17, 69, 70.
MARASCA, Bartholomaeus de, ep. Civitatis Castelli, 62, 63.
MARCUS, can. regularis Glacensis, 71.
MARIENWERDER *v.* Kwidzyn.
*MARKGRAF H.*, 12.
MARTINUS V pp. (Otto Colonna), 107-9.
MASOVIA, 29, 36.
MASSANENSIS ep. *v.* Dati Leonardus.
MATTHIAS Corvinus, rex Hungariae, 11, 12, 19, 22, 23, 62, 63, 88, 89.
MEDICIS, Iulianus de, 33.
MEDICIS, Laurentius de, dictus Magnificus, 33.

MEDIOLANUM, 34.
MEGAPOLENSIS (Magnipolensis), 45.
MELITA (Malta), insula, 36.
MENZI Petrus, de Vincentia, ep. Caesenatensis, 70, 71, 78.
MICHIEL Ioannes, card., patr. Constantinopolitanus, 96, 97.
MIRABALLIS, Alexander de, depositarius Curiae Romanae, 15.
MNISZEWO, Nicolaus de, decanus Plocensis, 82.
MOCENIGO Ioannes, dux Venetiarum, 57, 58.
MONS Sanctae Crucis, 22.
MONTE POLITIANO, Fabianus de, clericus Camerae Ap., 22-5.
MONTE SABUTIS, Franciscus de, 70, 71.
MORAVIA, 23.
MOSCOVIA (Muscovia), 18, 19, 35, 45, 46, 63-5, 95, 101, 103.

N

NEAPOLITANUS, 89.
NEPESINUS ep. *v.* Flores Bartholomaeus.
NICAENUS, 96, 97.
NICOLAUS V pp. (Thomas Parentucelli), 3-7, 9, 10.
NICOLAUS, abbas monasterii S. Mariae de Moniacis, 110, 111.
NIDZICA, Stephanus de, ep. Culmensis, 66, 67.
NIECHANOWSKI Martinus, can. Gnesnensis, 83.
NIEWIESZ *v.* Chebda Nicolaus.
NISSA, Nissensis, 32.
NOVOGRODIA, 19.
NOWAK Petrus, ep. Vratislaviensis, 5.
NUCERINUS ep. *v.* Ceretanis, Ioannes de.
NURENBERGENSIS, 15.

O

OLECHNO, pal. Vilnensis, 52.
OLESKI Nicolaus, can. Gnesnensis et Posnaniensis, 79, 80.
OLEŚNICKI Sbigneus, card., ep. Cracoviensis, 7, 8.
OLEŚNICKI Sbigneus, archiep. Gnesnensis, 47, 48, 51, 75, 81.
OPALIŃSKI Andreas, ep. Posnaniensis, 14.
OPOLIENSIS dioecesis, 72.
OPOROWSKI Andreas, ep. Varmiensis, *postea* Vladislaviensis, R.P. canc., 26, 52, 72, 73.
OPOROWSKI Ioannes, frater Andreae, 72, 73.
OPOROWSKI Vladislaus, archiep. Gnesnensis, 3, 4.
ORŁOWO, Paulus de, can. Plocensis, 37.
ORSINI *v.* Ursinis, de
OTRANTO *v.* Hydruntum.
OTTO dux Bavariae, 34.

P

PALAEOLOGORUM familia, 66.
PALAEOLOGUS Andreas, 34, 35.
PALESTINA, 74.
PARMENSIS, 9.
PAULUS II pp. (Petrus Barbo), 18-22, 24, 25.
PEREGRINUS, 53, 54.
PERUSINUS, 67.
PETRUS Adae, civis Posnaniensis, 79.
PICHERIER Iacobus, secr. pontificius, 78-80.
PICCOLOMINI Franciscus, card. *v.* Pius III.
PIENIĄŻEK Ioannes, de Witowice, decanus Lanciciensis, 27.
PINSCENSIS ep. *v.* Vasianus.
PIOTRAWIN, Albertus de, can. Gnesnensis, 75, 76.
PISCIA, Balthasar de, ep. Sirmiensis, 40, 41.
PIUS II pp. (Aeneas Silvius Piccolomini), 12-18, 28.
PIUS III pp. (Franciscus Todeschini Piccolomini), 24, 25.
PLACENTINIS, Franciscus de, secr. pontificius, 25.
PLESCOVIA (Pskov), 19.
PLETTENBERG Valtherus, magister Ordinis Theutonicorum in Livonia, 94.

PLOCENSIS, 14, 24, 28-30, 36, 37, 64, 70, 78, 83.
PODĚBRADY *v.* Georgius a Poděbrady.
PODLACHIENSIS pal. *v.* Sapieha Ioannes.
PODLODOWSKI Ioannes, secr. regius, 69, 70.
POLĘDZIE, Stanislaus de, can. Gnesnensis, 69, 70.
POLONIA, *passim.*
POMERANIA, 20.
POMESANIENSIS, 61, 62, 67.
PONTE, Nicolaus de, 54.
PORTA, Ardicinus de, card. Aleriensis, 71, 76, 79, 82, 83, 85.
PORTUENSIS ep. *v.* Borgia Rodericus.
PORTUGALLIA, 36, 42.
POSNANIENSIS, 6, 14, 34, 48, 49, 55, 56, 61, 62, 68, 72, 76, 78-80, 86, 89, 90, 109, 110.
*POU y MARTI J.*, 39, 44.
PRAGA, Pragensis, 20, 62, 63, 71, 72.
PRAŻMOWSKI Michael, archidiac. Plocensis, 82.
PREMISLIENSIS, 26, 52, 86.
PRUSSIA, Prutheni, 16, 18, 22, 23, 38, 67.

R

RADICZ, opp., 19.
RANGONE Gabriel, ep. Albensis, *postea* Agriensis, card., 23, 42, 43.
RATISBONENSIS, 25.
*RAYNALDUS O.*, 8, 17.
REHWINKEL Ioannes, ep. Sambiensis, 61, 62.
REY Ioannes, de Szumsko, can. Cracoviensis, 112.
RHODUS insula, Rhodianus, 35, 36, 38, 43-5, 47-9, 51, 56, 57, 64.
RIARIO-SANSONI Raphael, card., gubernator Spoletanus, 50.
RIGENSIS, 45, 61, 62.
RILINGER Bernardus, mercator Nurenburgensis, 15.
RILINGER Leonardus, mercator Nurenburgensis, 15.
ROMA, Romanus, *passim.*
ROTH Ioannes, ep. Vratislaviensis, 46, 47, 59, 60.
ROVERE, Iulianus della, card. *v.* Iulius II.
ROVERELLA Laurentius, ep. Ferrariensis, nuntius ap. in Bohemia, 22-5.
ROŻEMBERK, Iodocus de, ep. Vratislaviensis, 12.
RÓŻA BORYSZEWSKI Andreas, archiep. Theomoniensis (tit.), *postea* archiep. Leopoliensis, 76, 77, 80, 81, 86, 87.
RÜDESHEIM Rudolfus, ep. Vratislaviensis, 32, 40, 47.
RUSSIA (Ruthenia), Rutheni, 8, 39, 45, 64, 90-3, 95-8, 101-5.
RZESZOWSKI Ioannes, ep. Cracoviensis, 31, 42, 48, 50, 69, 70, 84, 85.

S

SABAUDIA, 42.
SALISBURGENSIS dioecesis, 43, 44.
SALVIATIS, Benedictus de, mercator Florentinus, 47, 59, 60.
SAMBIENSIS ep. *v.* Rehwinkel Ioannes.
SAMOGITIA, 39.
SANDECENSIS, 31, 84.
SANOK, Gregorius a, archiep. Leopoliensis, 9, 10.
SAPIEHA Ioannes, canc. reginae Helenae, pal. Vitebscensis et Podlachiensis, 90-3, 95, 98.
SAXONIA, 34, 45, 83.
SCANDINAVIA, 10.
SCOMMUNATE, Marcus Antonius de, clericus Lucanae dioecesis, 70.
SCOTIA, 36.
SCYTHIA, 39.
*SEMKOWICZ W.*, 94.
SENENSIS ep. *v.* Todeschini Piccolomini.
SICILIA, 64, 65, 111.
SIENNO, Iacobus de, ep. Vladislaviensis, *postea* archiep. Gnesnensis, 23, 36, 37.
SIGISMUNDUS dux Austriae, 34.
SIGISMUNDUS Luxemburgensis, imperator, 111.
SIGISMUNDUS Korybutowicz, nepos Vladislai Jagellonis, regis Poloniae, 108, 109.

SILESIA (Slesia), Silesitae (Silesii, Slesitae), 12, 13, 16, 38.
SINAI mons, 74.
SIRMIENSIS ep. *v.* Piscia, Balthasar a.
SIXTUS IV pp. (Franciscus della Rovere), 18, 26-66, 76, 86.
SLUPSCENSIS, 21.
SMOLENSCENSIS, 93.
SOPHIA Holszańska, regina Poloniae, 4. uxor Vladislai Jagellonis, 6-8, 109, 112.
SOPHIA (Zoe Sophia Palaeologa), uxor Ioannis III ducis Moscoviae, 35, 166.
SPALATENSIS archiep. *v.* Zobarellis, Bartholomaeus de.
SPANOCCHIIS, Ambrosius de, depositarius Curiae Romanae, 15.
SPECYMIR Nicolaus, de Cracovia, can. et cantor Cracoviensis, collector gen. denarii S. Petri in Polonia, 13-15.
SPOLETANUS gubernator *v.* Riario-Sansoni Raphael.
SPROWSKI Ioannes, archiep. Gnesnensis, 9, 10, 14.
STADENSES, 33.
STANISLAUS Martini, ep. Kioviensis, 52.
STELVIUS Ioannes, 32.
STETINENSIS, 21, 28.
STUR Steno, gubernator Regni Suetiae, 45.
STRZELECKI *v.* Wątróbka Strzelecki.
STRZEMPIŃSKI Thomas, ep. Cracoviensis, 14.
SUETIA, 45.
SUPERUM MARE, 45.
SUTRINUS ep. *v.* Flores Bartholomaeus.
SZAMOTUŁY, opp. in palatinatu Posnaniensi, 90.
SZELIGA Andreas, ep. Vilnensis, 52.
SZULC Iacobus, procurator episcoporum Polonorum Romae, 79.
SZUMSKO *v.* Rey Ioannes.
SZYDŁOWIECKI Stanislaus, cast. Zarnoviensis, 20.

T

TABOR Albertus, ep. Vilnensis, 90, 93, 94, 96, 97, 102, 103.
TARBATENSIS, 66.
TARGOWISKO, Sigismundus de, decretorum doctor, 84.
TARTARI, 39, 54, 94.
TERNUM (Terni), 6.
TERRA SANCTA, 39, 40.
*THEINER A.*, 9, 11, 16, 18, 21, 22, 25, 29, 36-8, 51-60, 62-3, 67-70, 73-5, 78, 90, 94, 95, 97, 99, 100, 103, 105.
THEODORUS, administrator pecuniarum, 54.
THEOMONIENSIS archiep. v. Róża Boryszewski Andreas.
THEUTONICORUM Ordo, 15-17, 23, 61, 94.
TIBURTINUS ep. *v.* Grassis, Antonius de.
TOBIASZE (Tobiaszewice), parochia, 73, 74.
TODESCHINI PICCOLOMINI Franciscus, ep. Senensis, card. *v.* Pius III.
TOLETO, Franciscus de, magister theologiae, 17, 18.
TORRIANI Ioachimus, magister gen. Ordinis Praedicatorum, 83.
TORUNIA, Toruniensis, 23, 32, 33, 82.
TRAPEZUNTIUS Andreas, secr. pontificius, 77, 80, 81.
TRIPONTIO, Franciscus de, 54.
TROCENSIS pal. *v.* Gasztołd Martinus.
TROILUS, 54.
TUNGEN Nicolaus, ep. Varmiensis, *postea* Caminensis, 21-3, 26.
TURCAE (Turci), 8-14, 16, 35, 38, 42-6, 50-3, 57, 58, 64, 65, 68, 96.
TURSKI Ioannes, archidiac. Sandecensis, 84, 85.

U

UNGARIA *v.* Hungaria.
URBANIS, Urbanus de, commissarius expeditionis adversus Turcas, 51.
URSINIS, Civicus de (Cencio Orsini), prior Ordinis Hierosolymitani, 49, 50.
UYTENHOVE Ioannes, 83.

V

VALACHIA, Valachi, 39.
VALLONA (Vlöre), opp. in Epiro, 41, 42.
VARANO, Iulius Caesar de, dominus Camerini, 53, 54.
VARMIENSIS (Warmiensis), 21-3, 26, 81, 82.
VASIANUS, ep. Pinscensis et Vladimiriensis, 97, 98.
VENETIAE, Venetus, 47, 54, 57-9, 97.
VILNA, Martinus de, 79, 80.
VILNENSIS, 9, 10, 14, 52, 90, 91, 93, 94, 96, 99-103.
VINCENTIA *v.* Menzi Petrus.
VITEBSCENSIS pal. *v.* Sapieha Ioannes.
VITELLIUS (Ciołek) Erasmus, ep. Plocensis, 95, 97-101, 103, 105, 109.
VITERBIO, Ioannes de, ep. Crotonensis, 73, 74, 76, 85.
VITOLDUS-ALEXANDER, magnus dux Lithuaniae, 108, 109.
VLADIMIRIA, Vladimiriensis, 19, 97, 98.
VLADISLAUS II Jagiełło, rex Poloniae, 8, 108-12.
VLADISLAUS III Jagellonides, dictus Varnensis, rex Poloniae, 109, 110, 112, 113.
VLADISLAUS II Jagellonides, rex Bohemiae et Hungariae, 22-5, 62, 63, 88.
VLADISLAVIENSIS (Wladislaviensis), 3-6, 10, 23, 26, 33, 48, 52, 73.
VRATISLAVIA (Wratislavia), Vratislaviensis, 5, 12, 17, 18, 32, 38, 40, 46, 47, 59, 60.

W

WALDSTEIN, Benedictus de, ep. Caminensis, 70, 71, 83.
WARMIENSIS *v.* Varmiensis.
WATZENRODE Lucas, ep. Varmiensis, 81, 82.
WĄTRÓBKA STRZELECKI Ioannes, archiep. Leopoliensis, 52, 76, 77.
*WELYKYJ A.G.*, 90, 95, 97, 101, 103, 105.
WIDAWA, Bartholomaeus de, 36, 37, 78.
WIELUŃ, Stanislaus de, 80.
WLADISLAVIENSIS *v.* Vladislaviensis.
*WOELKY C.P.*, 67.
WRATISLAVIA *v.* Vratislavia.
WSPINEK (Spinek) Andreas, de Bądkowo, can. Gnesnensis, 81, 82.

Z

ZANE Paulus, administrator Brixiensis, 47.
ZANEGA Ioannes, rector ecclesiae parochialis in Tobiasze, 73.
ZOE SOPHIA *v.* Sophia, uxor Ioannis III ducis Moscoviae.
ZARNOVIENSIS cast. *v.* Szydłowiecki Stanislaus.
ZOBARELLIS, Bartholomaeus de, archiep. Spalatensis, 110, 111.

FINITO DI STAMPARE CON I TIPI DELLA
TIP. EDIGRAF - ROMA - TEL. 8271694
NEL MESE DI GENNAIO 1986

ELEMENTA AD FONTIUM EDITIONES (CONT.)

XIX — *Documenta Polonica ex Archivo Generali Hispaniae in Simancas*, VI pars. Ed. V. MEYSZTOWICZ, pp. VIII+429, 121 doc. (A.D. 1556-1620), 4 tab., 1968.

XX — *Res Polonicae ex Archivo Regni Daniae*, II pars. Ed. C. LANCKOROŃSKA et G. STEEN JENSEN, 266 doc. (A.D. 1577-1696), 4 tab., pp. VI+324, 1969.

XXI — *Documenta Polonica ex Archivo Generali Hispaniae in Simancas*, VII pars. Ed. V. MEYSZTOWICZ, 187 doc. (A.D. 1491-1696), 2 tab., pp. VIII+262, 1970.

XXII — *Documenta Polonica ex Archivo Parmensi*, I pars. Ed. V. MEYSZTOWICZ et W. WYHOWSKA DE ANDREIS, doc. 183 (A.D. 1535-1588), pp. VIII+210, 2 tab., 1970.

XXIII — *A. Documenta Polonica ex Archivo Parmensi*, II pars. Doc. NN. 184-319 (A.D. 1598-1772), B. *Documenta Polonica ex Archivo Capitulari in Brisighella*. 63 doc. (A.D. 1578-1588), Ed. V. MEYSZTOWICZ et W. WYHOWSKA DE ANDREIS, p. 297, 2 tab., 1970.

XXIV — *Res Polonicae ex Archivo Regni Daniae*, III pars. Ed. C. LANCKOROŃSKA et G. STEEN JENSEN, 152 doc. (A.D. 1419-1564), pp. VIII+301, 4 tab., 1971.

XXV — *Res Polonicae ex Archivo Regni Daniae*, IV pars. Ed. C. LANCKOROŃSKA et G. STEEN JENSEN, 78 doc. (A.D. 1563-1572), 6 tab., pp. VIII+248, 1971.

XXVI — *Res Polonicae ex Archivo Mediceo Florentino*, I pars. Ed. V. MEYSZTOWICZ et WANDA WYHOWSKA DE ANDREIS, 145 doc. (A.D. 1559-1589), 4 tab., pp. VIII+320, 1972.

XXVII — *Res Polonicae ex Archivo Mediceo Florentino*, II pars. Ed. V. MEYSZTOWICZ et WANDA WYHOWSKA DE ANDREIS, 262 doc. (A.D. 1589-1612), pp. VIII+377, 1972.

XXVIII — *Res Polonicae ex Archivo Mediceo Florentino*, III pars. Ed. V. MEYSZTOWICZ et WANDA WYHOWSKA DE ANDREIS, 205 doc. (A.D. 1613-1626), 4 tab., pp. VIII+376, 1972.

XXIX — *Res Polonicae ex Archivo Regni Daniae*, V pars. Ed. C. LANCKOROŃSKA et G. STEEN JENSEN, 139 doc. (A.D. 1578-1630), 5 tab., pp. VIII+376, 1972.

XXX — *Res Polonicae ex Archivo Regiomontano*, I pars. Ed. C. LANCKOROŃSKA, 447 doc. (A.D. 1525-1548), 9 tab., pp. XV+259, 1973.

XXXI — *Res Polonicae ex Archivo Regiomontano*, II pars. Ed. C. LANCKOROŃSKA, 447 doc. NN. 448-854 (A.D. 1549-1562), 7 tab., pp. IX+241, 1974.

XXXII — *Res Polonicae ex Archivo Regiomontano*, III pars. Ed. C. LANCKOROŃSKA, doc. NN. 855-1237 (A.D. 1563-1572), 10 tab., pp. VIII+268, 1974.

XXXIII — *Res Polonicae ex Archivo Regni Daniae*, VI pars. Ed. C. LANCKOROŃSKA et G. STEEN JENSEN, 140 doc. (A.D. 1632-1699), 5 tab., pp. X+20, 1974.

XXXIV — *Res Polonicae ex Archivo Regiomontano*, IV pars. Ed. C. LANCKOROŃSKA, doc. NN. 1-212 (A.D. 1525-1530), 6 tab., pp. XVI+230, 1975.

XXXV — *Res Polonicae ex Archivo Regiomontano*, V pars. Ed. C. LANCKOROŃSKA, doc. NN. 213-551 (A.D. 1531-1537), 3 tab., pp. X+228, 1975.

XXXVI — *Res Polonicae ex Archivo Regiomontano*, VI pars. Ed. C. LANCKOROŃSKA, doc. NN. 552-761 (A.D. 1538-1542), 3 tab., pp. VIII+227, 1975.

XXXVII — *Res Polonicae ex Archivo Regiomontano*, VII pars. Ed. C. LANCKOROŃSKA, doc. NN. 762-1501 (A.D. 1543-47), tab., pp. VIII+256, 1976.

XXXVIII — *Res Polonicae ex Archivo Regiomontano*, VIII pars. Ed. C. LANCKOROŃSKA, doc. NN. 1052-1215 (A.D. 1548-49), 6 tab., pp. XII+206, 1976.

XXXIX — *Res Polonicae ex Archivo Regiomontano*, IX pars. Ed. C. LANCKOROŃSKA, doc. NN. 1216-1424 (A.D. 1550-53), 4 tab., pp. VIII+226, 1976.

XL — Res Polonicae ex Archivo Regiomontano, X pars. Ed. C. LANCKOROŃSKA, doc. NN. 1425-1724 (A.D. 1554-1559), 3 tab., pp. X+226, 1976.

XLI — *Res Polonicae ex Archivo Regiomontano*, XI pars. Ed. C. LANKOROŃSKA, doc. NN. 1725-2009 (A.D. 1560-1566), 4 tab., pp. VIII+226, 1977.

XLII — *Res Polonicae ex Archivo Regiomontano*, XII pars. Ed. C. LANCKOROŃSKA, doc. NN. 2010-2220 (A.D. 1567-1572), 4 tab., 1977, pp. X+196, 1977.

XLIII — *Res Polonicae ex Archivo Regiomontano*, XIII pars. Ed. C. LANCKOROŃSKA, doc. NN. 1-269 (A.D. 1534-1565), 4 tab., pp. VIII+228, 1978.

XLIV — *Res Polonicae ex Archivo Regiomontano*, XVI pars. Ed. C. LANCKOROŃSKA, doc. NN. 1-156 (A.D. 1546-1567), 3 tab. pp. VIII+190, 1978.

XLV — *Res Polonicae ex Archivo Regiomontano*, XV pars., Ed. C. LANCKOROŃSKA, doc. NN. 1-197 (A.D. 1525-1572), 6 tab., pp. X+192, 1977.

XLVI — *Res Polonicae ex Archivo Regiomontano*, XVI pars. Ed. C. LANCKOROŃSKA, doc. 1-72 (A.D. 1525-1535), 4 tab., pp. X+188, 1979.

XLVII — *Res Polonicae ex Archivo Regiomontano*, XVII pars. Ed. C. Lanckorońska, doc. 173-302 (A.D. 1536-1538), 4 tab., pp. VIII+213, 1979.

XLVIII — *Res Polonicae ex Archivo Regiomontano*, XVIII pars. Ed. c. Lanckorońska, doc. 303-419 (A.D. 1539-1541), pp. VIII+246, 1979.

XLIX — *Res Polonicae ex Archivo Regiomontano*, XIX pars. Ed. C. Lanckorońska, doc. 420-526 (A.D. 1542-1548), 5 tab., pp. VIII+214, 1980.

L — *Res Polonicae ex Archivo Regiomontano*, XX pars. Ed. C. Lanckorońska, doc. 527-602 (A.D. 1549-1568), pp. VIII+212, 4 tab., 1980.

LI — *Res Polonicae ex Archivo Regiomontano*, XXI pars. Ed. C. Lanckorońska, doc. 1-258 (A.D. 1525-1528), pp. X+196, 4 tab., 1980.

LII — *Res Polonicae ex Archivo Regiomontano*, XXII pars. Ed. C. Lanckorońska, doc. 259-676 (A.D. 1529-1531), pp. X+284, 1981.

LIII — *Res Polonicae ex Archivo Regiomontano*, XXIII pars. Ed. C. Lanckorońska, doc. 677-1081 (A.D. 1532-1534), 2 tab., pp. X+272, 1981.

LIV — *Res Polonicae ex Archivo Regiomontano*, XXIV pars. Ed. C. Lanckorońska, doc. 1082-1379 (A.D. 1535-1536), pp. X+241, 1982.

LV — *Res Polonicae ex Archivo Regiomontano*, XXV pars. Ed. C. Lanckorońska, doc. 1380-1587, (A.D. 1537-38), pp. VIII+190, 1982.

LVI — *Res Polonicae ex Archivo Regiomontano*, XXVI pars. Ed. C. Lanckorońska, doc. 1588-1886 (A.D. 1539-40), pp. X+282, 1982.

LVII — *Res Polonicae ex Archivo Regiomontano*, XXVII pars. Ed. C. Lanckorońska, doc. 1869-2183 (A.D. 1541-1542), pp. VIII+248, 1983.

LVIII — *Documenta ex Archivo Cardinalis Ioannis Morone ad Poloniam spectantia, quae in Archivo Secreto Vaticano asservantur*, I pars. Ed. C. Lanckorońska, doc. 1-128 (A.D. 1561-1580), pp. IX+251, 1984.

LIX — *Documenta ex Archivo Cardinalis Ioannis Morone ad Poloniam spectantia, quae in Archivo Secreto Vaticano asservantur*, II pars. Ed. C. Lanckorońska, doc. 1588-1868 (A.D. 1560-1544), pp. IX+195, 1984.

LX — *Res Polonicae ex Archivo Regiomontano*, XXVIII pars. Ed. C. Lanckorońska, doc. 2184-2480 (A.D. 1543-1544), pp. IX+195, 1984.

LXI — *Res Polonicae ex Archivo Regiomontano*, XXIX pars. Ed. C. Lanckorońska et L. Olech, doc. 2481-2828 (A.D. 1545-1546), pp. VIII+149, 1985.

LXII — *Res Polonicae ex Archivo Regiomontano*, XXX pars. Ed. C. Lanckorońska et L. Olech, doc. 2829-3281 (A.D. 1547-1548), pp. VIII+277, 1985.

LXIII — *Res Polonicae ex Archivio Regiomontano*, XXXI pars. Ed. C. Lanckorońska et L. Olech, doc. 3282-3558 (A.D. 1549-1550), pp. VIII+187, 1986.

LXIV — *Brevia Romanorum Pontificum ad Poloniam spectantia*, vol. I (Brevia saeculi XV). Ed. H.D. Wojtyska CP, pp. XV+127, 1986.

LXV — *In praeparatione.*


*DEPOSITARII:*

*« International Book Distributors »*
*LIBRERIA*
*117-120, Piazza Montecitorio*
*00186 Roma*

*Orbis (London Ltd.)*
*66, Kenway Road*
*London S.W 5*

*Institutum Historicum*
*Polonicum Romae*
*19, Via Virginio Orsini*
*00192 Roma*